# DE HÆRESI ALBIGENSIUM

## EXERCITATIO

HABITA IN COLLEGIO ROMANO

Anno MDCCLVI. Mense Augusto Die XXVI.

AUSPICIIS

REVERENDISSIMI PATRIS

## JO. THOMÆ BOXADORS

MAGISTRI GENERALIS ORDINIS PRÆDIC.

## AB ALOYSIO BRENNA

*Seminarii Romani Clerico, & Historiæ Ecclesiasticæ Auditore.*





ROMÆ, MDCCLVI.

EX TYPOGRAPHIA GENEROSI SALOMONI
SUPERIORUM FACULTATE.

# REVERENDISSIME PATER.



ETUS Lycei noſtri inſtitutum, quo ſingulis annis, hic veluti aperiri campus juvenum ingeniis & diligentiæ conſuevit, ut quid illa valeant, quid toto anni curriculo profecerint, experiantur: & vulgò eſt notum, & mihi qui tertiùm hoc ſuſcipio exercitationis genus, neceſſe eſt eſſe notiſſimum: in quibus exercitationibus ( ut in antiquis gymnicis, muſiciſque illis, & Poetarum agonibus factum eſt, quibus

hi nostri successerunt ) aliquem nobis quasi Agonothetam adsistere & præesse, maxime expetere atque exoptare solemus; a quo vel nostra ornetur industria, vel ingenii imbecillitas, sublevetur. Sed accidit, ut hoc anno, atque hoc maxime tempore; cum, antequam solemnes indicantur Scholasticæ feriæ, eramus in litterariam hanc arenam descensuri; Tibi, REVERENDISSIME PATER, magno Urbis totius plausu, maximo Tuorum consensu, Supremum Ordinis & Familiæ Magistratum delatum audiremus. Non equidem casu accidisse arbitror, his temporum articulis, hac in Urbe, illo etiam Scholis & parietibus nostris proximo & quasi adjuncto loco, ut tanta res fieret; & quod, auctore Gregorio XIII. ædificatum est Athenæum Religioni & bonis Artibus, maxime vero, quod illis temporibus necesse erat, ad Christianam Religionem tuendam & confirmandam, exaudire prope deberet eorum voces, quibus illi Ordini præficiebaris, qui difficillimis Christianæ Religionis temporibus, cum teterrimæ Hæreses maximam terrarum partem infecerant; natus, probatus, confirmatusque est. At quis nimirum præficiebatur? Nihil est earum rerum, quæ allicere homines possunt, ut viri cujuspiam summi ornatissimique sibi patrocinium adsciscat, quod ( oro, ut sit REVERENDISSIME PATER, veræ voci, & ab omni prorsus assentatione alienæ locus ) in Te cumulatissime non inveniatur. Nam & laudes illæ, quæ externæ sunt, & despici a sapientibus viris, sive ceteris postponi solent, ita sunt in Te congestæ, ut solæ quemvis alium or-

nare

nare & satis illustrare possent ; ex nobilissima, inquam, familia esse progenitum, in potentissimorum Regum Aula educatum fuisse, summos esse honores consecutum, valere apud Principes auctoritate & gratia ; sed praeterea quae ad animum pertinent, & quoniam hominis propriae sunt, majori etiam in pretio a sapientioribus viris prudentioribusque habitae ; quas quidem, si percensendo numerare singulas vellem, & dies me tempusque deficeret, & viderer fortasse longius ab instituto meo aberrare. Brevissime hoc tantummodo dicam : qui ad supremum Magistratum honorum & munerum gradus esse solent, Te perfunctum esse omnibus, atque ita perfunctum, ut breviori tempore, majori aliorum voluntate, & quasi felicitate nemo unquam sit consecutus. Cum enim, Religiosae praesertim familiae, atque ei familiae, quae cùm virtutis laude, tùm doctrinae splendore ornatissima est, ac praeterea plagis terrarum omnibus longe lateque diffusa, viros habeat multitudine innumerabiles; populorum ac nationum varietate diversos; genere, muneribus, auctoritate gravissimos; par sit eum imperare, qui ceteris externis laudibus & summae vitae integritati ac sanctitati hoc adjunxerit, ut non solum nobilissimas disciplinas praestantissimasque discendo cognoverit, sed docendo tradendoque quantum in illis valeat demonstraverit, & praeterea in ipsa gubernandi arte quae omnium difficillima est, se prudentissimum experientissimumque ostenderit. Tu nimirum is es, REVERENDISSIME PATER, qui cum aetate aliquantò maturiore fueris Religiosam

vi-

vitam amplexus, atque ita rerum maximarum cognitionem atque experientiam cum perspecta jam probataque omnibus morum innocentia attuleris; paucis vel non ita multis, quibus eam professus es annis, gradus omnino omnes, qui ad docendum regendumque pertinent & summa celeritate decurristi, & qualis quantusque esses plane omnibus declarasti. Tu Philosophiam, & rerum naturalium Scientiam celebri in Urbe, quæ antiquissimum in Italia domicilium bonarum artium & disciplinarum fuit, Perusiæ professus es: Tu in hac non Imperii solum, verum etiam doctrinæ principe Civitate, Theologiæ facultatem illam, quæ in vero germanoque sensu Theologorum Principis S. Thomæ eruendo explicandoque versatur, quatuor ipsos annos, summa intelligendi perspicacia, ubertate orationis, ac disserendi facilitate explicasti: Tu Provinciam Aragoniam, supremus ejusdem Tui Ordinis moderator, sanctissime, prudentissimeque administrasti: Tu denique Reverendissimo Clarissimoque Bremondio, qui in Hispanicis Provinciis gubernandis assisteres, ab eo delectus, ita Te illi, Tuis, & universo Ordini probasti, ut postquam ille huic luci ereptus est, Te dignum existimarent, cui non jam partis alicujus clarissimæ religiosissimæque familiæ, sed omnino universæ gubernacula traderentur. Itaque cum talis tantusque sis; cum hoc tempore, hoc loco ad eam quæ summa est dignitatem perveneris; non debeo hoc existimare, divinitus veluti factum esse, ut Patronus Tu mihi studiisque meis advocarere? Verùm hæc sunt, quæ hactenus commemoravi,

hujus-

hujuſmodi, ut in quemlibet alium Lycei hujus, & facultatis cujuſvis Auditorem convenire poſſent. Habeo aliud proprium ac plane meum, qui aliquot jam annos in Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudio, neſcio quo fructu, diligentia certe non mediocri & maxima voluntate verſor. Nam Te hanc præcipue diſciplinam adamaſſe, teſtantur diſputationes, & concertationes tuæ, his ipſis de rebus, quæ in ea facultate tractantur, habitæ; teſtatur illud maxime, quod Deceſſori Tuo olim in diſciplinam veluti traditus, edendorum cum ipſo Pontificiorum Diplomatum, quæ ad Ordinem veſtrum ſpectant, curam ſuſcepiſti. Atque hoc nimirum Te conciliare maxime mihi ſtudiiſque meis neceſſe eſt. Nam in ea ſum Hiſtoriæ parte, quæ, ſi ulla alia, ad familiæ veſtræ gloriam & dignitatem pertinet. Dicturus enim ſum de Albigenſium Hæreſi, ea nimirum, quam SS. Ordinis veſtri auctor & parens ſumma dexteritate aggreſſus eſt, incredibili conſtantia oppugnavit; admirabili felicitate contudit? in qua quidem expugnanda cum ejus ſanctiſſimi filii, veluti ad bellum Domini perſequendum perficiendumque vocati eſſent, ceteris, qui ad reliquas deinde conſequutas Hæreſes edomandas atterendaſque arceſſerentur, præclariſſimo feliciſſimoque exemplo præiverunt. Hæ ſunt cauſæ, quæ Te patronum mihi ſtudiiſque meis ut adſciſcerem perſuaſerunt. Utinam haberem alias, quæ ad id excuſandum valerent, quod hac ingenii mediocritate hac tenuitate doctrinæ maximum onus ultro ſuſcipere ac depoſcere non dubitarim, in quo etiam uno Lycei hujus & Collegii fama periclitari videatur.

deatur. Unam tamen habeo, quæ satisfacere cuicumque vel fastidiosissimo potest, positam in Tua, REVERENDISSIME PATER, humanitate ac benignitate: Hæc, quæ tenuitate ipsa mea illustrior testatiorque futura est omnibus, excusare consilium meum poterit; hæc eventum, quicumque erit exercitationis hujus ornare; hæc eadem me dicentem, hærentemque fortasse in difficillimis impeditissimisque locis sublevabit.

DE



# DE HÆRESI ALBIGENSIUM

## *EXERCITATIO.*



Æreses quæ Christianam Ecclesiam ab ipsa Apostolorum ætate exercuerant, postquam sæculo x. extinctæ aut consopitæ sunt, ut nullæ ferme apparerent; erupere iterum sæculo xi., & maxime xii., deinceps ad nostra hæc tempora, novis subinde enascentibus, succrescentibusque propagatæ. Itaque Historiæ Ecclesiasticæ partis illius, quæ errorum causas, ortus, progressionesque considerat (est vero utilissima, & ad Catholicum dogma planius intelligendum & confirmandum prorsus necessaria) alter hinc veluti cursus exorditur; cui insistere diligentius omnino convenit, maxime ut Heterodoxis hominibus obsistamus, qui objectam a nostris eorum Sectæ, & doctrinæ novitatem, per antiquiores Hæreticos hos, tueri, & excusare conantur, atque ab illis perpetuam successionem quamdam errorum suorum & secessionis ab Ecclesia Romana demonstrare. Selegimus vero inter ceteras, Exercitationis hujus argumentum, Albigensium quæ dicta est Hæresim; quòd ea quidem celeberrima sit, nec satis adhuc, ut nobis quidem videtur, explicata: hæc vero arbitramur esse præcipua capita, quæ de ea Hæresi quæri & investigari possunt; itaque nos quæremus.

De erroribus, quinam eorum, idest Albigensium, essent.

De diversis ipsorum generibus, nominibus, origine, & propagatione.

De præcipuis Hæresis defensoribus sive fautoribus, ejusdemque expugnatoribus.

De modo, qui est ad Hæresim exstirpandam adhibitus, disputationibus, colloquiis, conciliis, bellicis expeditionibns, institutisque judiciis.

## CAPUT I.

### *De Albigensium erroribus.*

Albigensium errores explicare non est admodum difficile; siquidem eo contenti sumus, quod nonnulli faciunt, ut præcise *novos* eos *Manichæos* dicamus, & Manichæorum veterum dogmata amplexos esse pronuntiemus. Verùm & Manichæorum dogmatum descriptio non ita facilis est, atque expedita, ut quibusdam videtur; & Albigenses fuisse Manichæos, ut plerique consentiant, sunt tamen qui negent: inter quos Jo: Christophorus Wolfius in eo libro quem inscripsit (1) *Manichæismus ante Manichæos*: quòd videret nimirum, damnatis Albigensibus, Waldenses, a quibus hominibus successionem suam Heterodoxi repetunt, salvos esse non posse (2). Nobis antiqua, & communis sententia retinenda omnino esse videtur; idque evincere arbitramur, veterum Manichæorum dogmata cum iis comparantes, quæ Albigensibus, æquales Scriptores adscripsere. *Quidam Hæresiarchæ*, ait Cæsarius (3), *collegerunt puncta ex dogmate Manichæi ..... duo credunt cum Manichæo principia Deum bonum, & malum Deum, idest Diabolum, quem dicunt omnia creare corpora, sicut Deum bonum animas*. Petrus Monachus Cœnobii Vallium Cernaii, alter Albigensium historiæ antiquissimus scriptor (4); *Primò sciendum, quod Hæretici duos constituebant Creatores; invisibilium scilicet, quem vocabant benignum Deum, & visibilium, quem malignum Deum nuncupabant &c.* additque, quod constat proprium fuisse veterum Manichæorum; *Novum Testamentum benigno Deo, vetus vero maligno attribuebant*: cui Cæsarius consentit, cum *Moysen & Prophetas* recipere eos negat; imo Tolosani Comitis, Hæresis Albigensium præcipui propugnatoris, has blasphemias Petrus refert (5); *bene apparet, quod Diabolus fecit mundum istum .... Deus Moysi, quem vos creditis, non poterit vos juvare &c.* Manichai-

(1) Pag.256. (2) *Colbergius Albigensibus errores hos ex vero tribui existimat, a qua tamen sententia animum non possum non profiteri alienum, cum verendum sit, ne sic Waldensibus quoque, quos tamen ab his placitis immunes pronuntiat, eadem dica scribenda sit.* (3) Distinct. V. cap.21. Biblioth. Cisterc. Tissier to.2. pag.138. (4) Hist. Albigens. cap.2. (5) Cap.4.

nichaicum est illud quoque, quod eo loco (1) sequitur apud eumdem Petrum; *Christus ille, qui natus est in Bethleem terrestri, & visibili, & in Hierusalem crucifixus, malus fuit ... Bonus enim Christus, sicut dicebant, nunquam comedit vel bibit, nec veram carnem assumpsit, nec unquam fuit in hoc mundo, nisi spiritualiter in corpore Pauli. Ideo autem diximus in Bethleem terrestri & visibili, quia Haeretici fingebant, esse aliam terram novam & invisibilem; & in illa terra, secundum quosdam bonus Christus fuit natus & crucifixus*. Fuisse hoc in veterum Manichæorum placitis, Christum specie tenus, sive φαντασίᾳ, ut Theodoretus ait (2) pertulisse mortem, atque, ut Augustinus (3), *finxisse passionem, qui natus non esset, neque veram, sed simulatam carnem humanis oculis ostendisset*, ex his quos nominavi constat, & ex Epiphanio (4): quos quidem hujusce rei idoneos esse testes judico; ut ut aliter Beausobrius censeat. Verùm & hoc Beausobrius (5) ipse fatetur, & aliud de mundo invisibili pariter Manichaicum fuisse concedit (6). Quod vero Petrus addebat *secundum quosdam*; plane ostendit in recentioribus istis Manichæis, fuisse divortia quædam doctrinæ; uti etiam in paullo antiquioribus, sive Paullicianis. Nam in anathematismis, qui his præscribuntur pronunciandi, cum ad Catholicam Ecclesiam veniunt, quosque e Regio Codice Cotelerius (7), ex Cæsareo etiam ampliores Tollius (8) edidit, hæc leguntur; *Anathematizo qui dicunt D. N. J. C. specie tenus tantum mundo manifestatum esse, quique fateri nolunt vere eum carnem e B. Virgine Maria induisse ... nobisque consubstantialem ac perfecte hominem factum esse ... Anathematizo eos, qui contra hæc sentiunt, & alium quidem volunt esse eum, qui natus sit ex Maria, quique baptizatus, sive, ut nugantur, demersus, alium vero eum qui ex aqua ascenderit, & testimonium acceperit, quem & ingenitum Jesum, ac lumen nuncupant, qui in figura hominis apparuerit; atque illum quidem fabulantur esse a malo principio, hunc autem a bono. Anathematizo eos, qui ajunt D. N. J. C. specie sola passum esse, & alium quidem esse eum qui in cruce, alium qui procul ab ea stabat, ridebatque, tamquam alio pro se perpetiente*. Pertinet, ut dixi, hæc formula ad eos Manichæos, qui Paulliciani dicti sunt sæculo VII. VIII. & IX. & quorum historiam Pho-



(1) Cap.2. (2) Lib.1. Hæret. Fabul. cap.26. (3) Contra epist. fundam. cap.8. (4) Hæres.66. num.26. (5) Lib.8. cap.1. 2. 3. (6) Lib.6. cap.1. (7) Ad lib.4. Recognition. num.27. (8) Insign. Itinerar. Ita lic. pag.126.

tius (1), & Petrus Siculus, quem ex codice Vaticano Raderus (2) eruit, persecuti sunt: quorum postremus testatur; *nec quicquam divertunt a Manichæis Paulliciani . . . qui, tametsi se a Manichæorum impuritatibus alienos dictitant, sunt tamen dogmatum ipsorum vigilantissimi custodes, & propugnatores*. Eam vero formulam sæculo IX. non esse antiquiorem, & credo ab aliis animadversum fuisse, & colligo ego ex verbis, quibus anathema dicitur Paullo, Sergio, Tychico &c. Sed ut redeamus ad Albigenses, fuere in eorum dogmatibus, ex Petro Monacho; *Omnes veteris Testamenti Patres damnatos, Joannem Baptistam unum esse de majoribus Dæmonibus*. Ex Cæsario vero *corporum resurrectionem negabant*; *Baptismum abjecerunt*; *sacramentum Corporis & Sanguinis Christi blasphemant*. Addit, metempsychosim ab iisdem admissam; nam militem eam inducentem narrat, subjicitque; *credidit stultus, sicut ceteri Albigenses, quod anima secundum meritum transeat per diversa corpora etiam animalium, ac serpentium*. Gullielmus de Naugis hos præterea Hæreticos *Beatam Mariam Dei Genitricem blasphemasse* refert (3). De Patrum veteris Testamenti salute, uti etiam de Jo. Baptista, non ita sensisse perverse antiquos Manichæos, contendit Beausobrius (4); sed hoc ex Archelai Actis, non veris sincerisque, quæ Epiphanius, Cyrillus Hierosolymitanus, Hieronymus aliique vetustissimi PP. viderunt, atque in sua ipsorum scripta intulerunt; verùm interpolatis, atque ita, uti ea inventa sunt, editis a Zaccagnio: in quibus etiam nihil habetur, quod his magnopere repugnet. Recensetur a Photio inter Bibliothecæ suæ codices (5) opus Agapii inscriptum Uraniæ (quam cur Fabricius (6) uxorem ejus faciat, non plane video), in quo ille errores suos, idest Manichæorum exponit; sunt vero inter ceteros, quos Photius perstrinxit *Vetus Testamentum irridet, ac Moysem ipsum cum Prophetis*; *quin & Domini Præcursorem subsannat*. Atque id testimonium, ut Didymi Alexandrini alterum (8) injuria Beausobrius repudiat. In Agapio excusatione uti fortasse posset paullo commodiore, si ita antiquum eum esse negaret, ut de vetustissimis Manichæis testimonium perhibere posset. Nam ego ut Agapium credam illum, qui inter Manetis ipsos discipulos numeratur a Petro Sicu-

(1) Edidit Montfaucon Bibl. Coisslianæ pag. 349. &c. (2) Ingolstadii 1604 v. pag. 3. (3) In Chronic. tom. XI. vet. edit. D'Acherii pag. 489.

(4) Part. 2. lib. 1. cap. 4.

(5) Cod. 179. (6) Bibl. Græc. tom. 5. pag. 287. (7) Sunt Photii verba προσφωνεῖ δὲ ταῦτα Οὐρανίᾳ τινὶ τοὔνομα γυναικὶ συμφιλόσοφον ἀποσημαίνων αὐτὴν p. 209. ex recens. Hoeschelii an. 1601.

(8) Auctar. Combefis. tom. 2. pag. 30.

Siculo (1) non facile adducor, suspicorque potius paullo Photii ætatem antecessisse. Sed mihi quidem ætas illius, aut testimonium perinde est: constabit enim Manichæorum sequioris ævi progeniem fuisse Albigenses. Quod verum est: nam omnia quæ expressimus dogmata, in his reperiuntur; atque ita laudati Anathematismi (2); *Anathema iis, qui Sanctam Deiparam Mariam contumelia afficiunt*; (3) *Anathematizo negantes carnis resurrectionem*; (4) *Anathematizo eos, qui metempsychosim admittunt, quam ipsi animarum* μεταγγισμὸν (de vase in vas effusionem) *appellant*. Photius in Paulicianorum historia (5); *In Sanctissimam autem Dominam nostram Deiparam blasphemantes non horrent ea dicere, quæ nec scribi, nec audiri possunt .... Pari modo communionem pretiosi Corporis, & Sanguinis Christi Dei nostri sexcentis contumeliis aspergentes ... sacros Prophetas, omnemque veterem scripturam, aliosque sanctos aversantur, quos fures, & latrones appellant*. Petrus Siculus Manichæorum sectæ sex capita, seu, ut ipse vocat, γνωρίσματα proponens (6) post primum de duobus principiis habet alterum; *quod Deiparam, semperque Virginem per odium abjiciant, neque Christum ex illa natum dicant*: & tertium, *quod e sacris Mysteriis divinam ac tremendam Corporis & Sanguinis D. N. J. C. conversionem negent*: item quintum; *quod Veteris Testamenti tabulas non admittant, Prophetasque fures & latrones vocent*. Sequebatur etiam apud Agapium, sive Photium de Agapio; *Abnegat omnium resurrectionem ac Judicium, vocabula hæc ad alia transferens ... intolerabile odium, bellumque implacabile cum Deipara & semper Virgine Maria gerit ... Corpus & Sanguinem Christi non illud agnoscit, quod Christiani veneramur, sed quod furiosa ipsius mens confixit ... probat & metempsychoses*: quæ quidem aliis aliorum perpetuo consentiunt. Pleraque vero inveniuntur etiam in iis, qui certò sunt antiqui. Nam Theodoretus de iisdem habet (7); *Corporum resurrectionem ut fabulam rejiciunt ... animas in corpora transire dicunt; & has quidem in volucrum, alias in jumentorum, & ferarum, & serpentium corpora immitti*. De metempsychosi fuse contra Manetem disputat Epiphanius (8), & pro resurrectione corporum (9), quam quidem cum Judicio Manichæos negasse Philaster etiam (10) prodidit; idque a Valentino eos accepisse vult Rufinus (11). Nihil dicam

(1) Pag. 30. (2) Ap. Tollium pag. 144. (3) Ibid. pag. 140. (4) Pag. 138. (5) Bibl. Coisl. pag. 352. (6) Pag. 17. (7) Lib. 1. Hæret. fab. cap. ult. (8) Hær. 65. n. 28. & 55. (9) N. 35. (10) Hær. 61. (11) Expos. Symb.

cam de Euchariſtia. Scitum enim eſt, quam loco noſtræ quæ ſancta eſt, eam illi fœdam deteſtabilemque haberent; quod fruſtra quidem negat Beauſobrius (1). De Baptiſmo res videri poteſt obſcurior (2): Sed vel eum illi pro arbitrio adhibebant, neceſſarium verò negabant, quod Tillemontius docuit (3), vel ut Photius (4) *etiamſi ſalutarem baptiſmum reſpuant, ſe tamen ipſum admittere ſimulant*. Nihil dico de matrimonio; quod damnaſſe veteres Manichæos ex Auguſtino ceteriſque omnibus conſtat; de Albigenſibus vero Petrus; *ſacrum matrimonium meretricium eſſe; nec aliquem in ipſo ſalvari poſſe, filios & filias generando*, affirmaſſe teſtatur; additque, cum duas ipſi eorum claſſes diſtinguerent, *Perfectos* qui dicebantur, quique nominabantur *Credentes*; Perfecti & caſtitatem mentiebantur, & *eſum carnium, ovorum, caſei omnino deteſtabantur*; quæ Manichaica eſſe profecto liquet.

II. Atque hactenus una opera duas res conſecuti eſſe videmur, ut præcipua Albigenſium dogmata, quæ eſſent, exponeremus, & veteribus Manichæis eadem aſſereremus; quarum primæ Wolfius, alteri vero Beauſobrius repugnabat. Quamquam Beauſobrianum opus longiorem profecto, & diligentiorem, addo etiam a doctiore homine, confutationem deſiderat, præſertim altera ejus pars, quæ Dogmatica eſt: nam in prima, quæ eſt hiſtorica, refellenda, Auctor Exercitationum in S.Leonis opera, recens eſt fuſeque verſatus. Sunt vero illi libri, non ſolum impie, ſed veteratorum more, ideſt aſtute & fraudulenter ſcripti, nec ita tamen, ut contemni poſſint. Ut enim curam diligentiamque probet, res minutatim partitur; in ſingula ſolicite inquirit, ad curioſa quædam digreditur, magnam auctorum nec vulgarium copiam allegat; ut nimirum alliciat, atque retineat lectores ſuos, opprimatque ſi non pondere, argumentorum numero & copia. Atque alia quidem Manichæis abjudicat, quaſi illis per calumniam impoſita, alia fuiſſe in eorum erratis fatetur, ſed excuſationem ipſe adornat; in qua quidem excuſatione Apoſtolicam traditionem obſcurare, debilitare argumenta Catholicæ fidei omnia ſummo ſtudio conatur. Ut vero id facere liberius poſſit, & rem quò vult adducere, veterum Scriptorum, quorum auctoritatem timet, fidem in procemio, quod ceteris libris præfixit, elevat. Alios non vidiſſe Manichæorum libros; itaque incertos rumuſculos ſecutos eſſe: alios non intellexiſſe. In priorum numero Cyrillum Hieroſolymitanum habet; etſi negare non poteſt Archelai narrationi in-

(1) Part.2.lib.9.c.7.8.9. (2) Ibid.cap.6. (3) Not.1.in Manich. (4) Loc.all.

ni instititisse, quam Beausobrius, ut multo incertiori hæreat, contemnit: item Theodoreti, cujus laudare eruditionem cogitur, credulitatem damnat. In posteriorum censum inferre audet S. Epiphanium, quasi Syriace nesciverit, & in *Thesauro* Manichæi libro, quem idem se legisse testatur, alia omnia, quam quæ vere erant scripta, viderit. Titum Bostrensem impense laudat; sed postquam reperit quædam dicere de Christi Œconomia, quæ systemati suo adversantur, tunc negat ei esse adhibendam fidem, quod illa credibile non sit in *Thesauro*, in quo reliqua reperit, invenisse. Leonem M., Damascenum, formulas fidei, etsi sibi & cum historicis consentientes, damnat omnes. Quid Augustinus? Inter Manichæos, inquit, *Auditor* non *Electus* erat: itaque nihil eorum scivit. At cum Electis, qualis Fortunatus erat, disputavit. At Tyrbo quoque in *Auditoribus* fuit. Hic Beausobrius, quando a Tyrbone adjuvari se posse credit, Auditores æque ac *Electos* vult nosse Manichæorum omnia (1). Ita qui se nullius partis studio præoccupatum subinde jactat, tanto Manichæorum suorum amore finit se abripi, ut sibi non constet. Atque idem eàdem de causa peccasse videtur, dum negat quæ Augustinus de Manichæis narrat potuisse esse vera, quod non sit credibile ea portenta amplexurum fuisse, cum Manichæis se daret, Augustinum. Erroris tamen portenta, atque ut idem vocat (2) *terribile paradoxum* in PP. admittit post Concilium Nicænum: de quo quidem Concilio Nicæno portenta ipse sequitur, cum quò Patrum consensionem tantam fuisse neget, tam multos in illum gravissimum, sanctissimumque consensum Episcopos Hæreticos (3) inducit; & quæ sunt de eo communi veterum Scriptorum suffragio munita, aut inficiari audet, aut in suspicionem adducere. Sed longiùs progredi Instituti nostri ratio non patitur: atque ipsa hæc tacuissemus omnino, nisi fuissent ad Scriptorum eorum, quibus utimur, auctoritatem stabiliendam necessaria; ne eorum nescii, quæ Beausobrius opposuisset, illos tamen compellare hac in causa videremur. Addam tamen aliud, quod pertinet ad Manichæorum placita declaranda, & quæ sunt Christianæ fidei illustrare conabor; secus ac facit Beausobrius. Nam libro III. exponere aggressus Manichæorum systema, atque eam, quam illi crederent esse Dei naturam; ait hanc Manichæum fecisse lumen quoddam sincerum, maximeque purum; id ab aliis traditum fuisse, & placuisse etiam Christianis Patribus; hoc vero lumen statuisse Manichæos nequaquam esse corporeum.

(1) V. Tom. I. pag. 251. n. 8. (2) Ibid. pag. 521. (3) Tom. I. lib. 3. cap. 6

poreum. Hactenus non male. Sed extremum quod posuerat, statim evertit, decernens illud tamen corporis istis oculis videri potuisse, modò cælesti, & Divina virtute roborarentur; hanc eamdem extitisse Græcorum Patrum magno numero sententiam; nec tamen appellat alios, quam Damasceni nescio, quod carmen, & ex Nazianzeni oratione xl. locum qui rem nullo modo conficit; totum se reservat Græcis sæculo xiv. de lumine Thaboritico disputantibus, de quibus jampridem Petavius (1), Thomassinus (2), & Theologi alii; quibus addit Leonis Allatii auctoritatem (3). Itaque apparet illudere incautis, aut imperitis voluisse. Et Allatium quidem (4) Trevoltienses acerbius increparunt; ignoscimus nos viro docto, Græcis suis nimium tenaciter inhærenti, atque hic Grammaticorum more magis, quam Theologorum Patres tractanti. Beausobrio ignoscere nullo modo possumus, cum Lib.iii.c.i.& 2. Christianum dogma de Dei natura a materia omni & corpore libera, convellere nititur, negatque Fidei Christianæ adversari qui neget illam spiritalem omnino esse, qualis credi & dici consuevit. Doceri hìc poterat a Manichæis suis, nisi ad Worstium & Socinianos divertere hoc loco maluisset. Nam Manichæi Deum ita dicebant lucem, ut alterum principium ei omnino adversum, & quod nihil haberet cum eo commune, statuerent esse materiam; ab omni ergo materia remotus erat Deus. Testes autem hujusce rei non modo nostri, ita hoc, quod eorum dogmatum præcipuum erat, enuntiantes; inter quos Theodoretus (5); *Hic duos ingenitos & æternos esse dixit Deum & materiam, appellavitque Deum lucem, materiam tenebras, & lucem bonum, tenebras malum... remotum esse a materia Deum dixit, prorsusque ignorari, & ipsum a materia, & ab ipso materiam*; verùm ipse quoque Manes, sic exorsus celebrem illum Thesaurum suum, teste Epiphanio (6); *Erat Deus, & materia, lux & tenebræ, bonum & malum, quæ tam penitus sibi invicem erant contraria, nulla ut alterum cum altero communione jungeretur*. Quid ergo dicemus? nisi cum lucem esse Deum dicebat, ita lucis nomine Deum nuncupasse Manichæum, ut pictores nostri, hominis animam flammulæ aut ignis specie repræsentare consueverunt; quoniam, ut illis specie quadam sic nobis nomine aliquo exprimere rem quam volumus necesse

(1) Theol. Dogm. lib.1. cap.12.
(2) Theol. Dogm. Tract.1. lib. 4. cap.1. (3) De consens.lib.2. cap.17. col.837. (4) a.1636. art.1. pag.14.

(5) L. all. (6) Hær.66. n.14. ἦν Θεὸς ϗ ὕλη, φῶς, ϗ σκότος, ἀγαθὸν, ϗ κακὸν τοῖς πᾶσιν ἄκρως ἐναντία, ὡς κατὰ μηδὲν ἐπικοινωνεῖν θάτερον θατέρῳ.

cesse est. Quod si nomen est illud rei corporeæ; idest luci huic nostræ commune; hoc evenit in vocibus aliis, atque ipsi, quæ significantissima omnium putatur, latinæ *spiritus*, Græcæ πνεῦμα, Hebraicæ רוח. Quæ de ὕλη Beausobrius (1) differit, quasi Manichæi *materia* non recte eo nomine explicetur, nec de eo PP. solicitos fuisse; eòdem pertinent, quò cetera, adversus eorum auctoritatem & testimonia ab eo prolata. Tantum ergo abest, ut Manichæorum hoc dogma, Dogmati Christiano adversetur, ut inveniatur maxime consentire. Quod eò etiam valet magis, quod unum Deum vere admittebant Manichæi; itaque nos decernimus, Polytheos eos nequaquam fuisse, ac duo quidem principia admisisse, neutiquam Deos duos; atque hoc (ne inimici hominis esse dicamur) recte statuisse Beausobrium. Uti vero Patres de Deo loquentes lucemque eum aut ignem esse enuntiantes, hoc modo dicimus esse intelligendos; ita & multos eorum, eadem fere in sermone de Angelis efferentes; etsi fateamur omnes ita explicari omnino non posse. Sed hìc quoque exaggeratione utitur Beausobrius (2); & licèt Theologi ferme de eo consentire videantur, fide certum definitumque habendum non esse, etiam post Lateranense Concilium, Angelos, maxime malos ab omni prorsus materia & corpore omni vacuos & liberos esse; esse vero id asserere temerarium; nihilominus nos opinamur, in Ecclesia fidem & traditionem semper extitisse de eo quod Angeli *incorporei* sint, *immateriales*, denique *spiritus*, quamvis ea traditio, non his fuerit nominibus vocibusque concepta, sed prorsus aliis, quæ idem tamen, quod nunc eæ voces, eo tempore significabant.

III. Atque hactenus de Albigensium erroribus, in quibus recentiores hi veteribus Manichæis consentire prorsus deprehenduntur. Cæsarius addit; *quicquid beneficii mortuis a vivis impenditur irrident; ire ad Ecclesias, vel in eis orare, nihil dicunt prodesse*. Petrus Monachus iisdem, quos præcisè Hæreticorum nomine compellare videtur alia tribuit; *Item dicebant Hæretici bonum Deum duas habuisse uxores Collant, & Colibant, & ex ipsis filios & filias procreasse*. De aliis Hæreticis subjicit quædam; omnibus vero hæc tribuit; *Hi omnes membra Antichristi, primogeniti Satanæ ... provinciam Narbonensem veneno suæ perfidiæ infecerunt; fere totam Romanam Ecclesiam speluncam latronum esse dicebant, & quia ipsa erat meretrix illa, de qua legitur in Apocalypsi*. Guillelmus de Podio Laurentii ce-

 lebrem

(1) Lib.5. cap.6. (2) P.2. lib.5. cap.6.

lebrem disputationem narrans (1) habitam a Catholicis cum Albigensibus apud Montem Regalem: ait, *fundamentum fuisse a parte Hæreticorum*, quod qui erat inter eos præcipuus *appellavit Ecclesiam Romanam, quam Episcopus Oxomensis defenderat, non esse sanctam Ecclesiam neque Sponsam Christi, sed Ecclesiam Diaboli, & doctrinam Dæmoniorum, & esse illam Babylonem, quam Joannes appellabat in Apocalypsi matrem fornicationum & abominationum: ebriamque sanguine Sanctorum & Martyrum J. C., ejusque ordinationem non esse sanctam neque bonam, neque statutam a D. J. C. & quod nunquam Christus neque Apostoli ordinaverunt, aut posuerunt Ordinem missæ, sicut hodie ordinatur*. Simile est illud, quod legitur in Vita Gregorii IX. quæ Bernardo Guidonis tribuitur (2) de Albigensibus: *Dicunt enim Hæretici infideles Catholicos Ministros Romanæ Ecclesiæ, Diabolos, & ipsam Ecclesiam, Satanæ synagogam*. Et Cæsarii quidem illa vel Albigensibus vel eorum fautoribus tribuit Lucas Tudensis; *Audent enim*, inquit (3), *contendere, nos Sanctorum auxiliis in nullo penitus adjuvari ... His videntur in parte favere ... asserentes, Prælatos Ecclesiæ Christi, animabus mortuorum fidelium remissionum Indulgentiis non posse ullatenus subvenire*. Est etiam apud eumdem; *Corpus factum a Diabolo mentiuntur ... nullius Sancti animam ante diem judicii cœlum ascendere, atque nusquam pati pœnas animas, nisi tantummodo in Inferno: neque habere etiam notitiam eorum, quos dum viverent in sæculo dilexerunt*. An hæc omnia veterum Manichæorum, aut Paulicianorum fuerint non ausim affimare. Apud Petrum Siculum legitur (4) dumtaxat *Quod arceant ab Ecclesiæ administratione Presbyteros, & Seniores*; & Photius *neque Catholicæ Ecclesiæ Presbyteros atque Sacerdotes admittunt* (5). Affirmat tamen Cæsarius, aliunde etiam hausisse dogmata sua: *quædam in erroribus quæ in Periarchon fertur scripsisse Origenes, plurima quæ de corde etiam suo finxerant adjicientes*. Sed in eo ipso, nec a veterum Hæreticorum instituto discessere, qui prioribus Majorum suorum erroribus novos subinde addere consuevere; & institere pressius Manichæorum ipsorum vestigiis, *qui non unius pravitatis speciem, sed omnium simul errorum impietatumque mixturam generaliter possidebant*, ut ait S. Leo (6); atque *ex diversis hæresibus & gentilibus dogmatibus hanc suam perversam constituerunt opi-*

(1) cap.9. (2) Tom.3. Scriptor. Murator. pag.371. (3) Præf. adversus Albigenses (tom.25. Bibl. PP. edit. Lugdun. pag.194.) (4) Parad.6. (5) Pag.354 (6) Serm. 15. cap.4.

*opinionem*; quemadmodum legitur in Vita S. Porphyrii, a Marco ejus discipulo sæculo v. scripta (1).

IV. Verùm hoc loco examinanda est quorumdam opinio, qui cum hæc Albigensium in dogmatibus fuisse legant, Waldenses atque Albigenses confundunt; atque eadem de causa Petrobusianis eosdem accensent, sive Petrobusianos novis Manichæis. Primum illud, idest Albigenses non distinxisse ab Waldensibus, multos fecisse, imo plerosque qui de Albigensibus scripsere, questus jampridem est in sua Albigensium Historia Joannes Benedictus (2); postea vero in Dissertatione de Waldensibus (3) Thomas Augustinus Ricchinius vir doctissimus, a quo multùm nos profecisse lubentes agnoscimus, atque etiam præferimus & gloriamur. Sed omnino esse distinguendos Historici nostri docent, Cæsarium dico qui alios ab aliis diserte secernit (4), & Petrum Vallicernensem (5), qui pariter hos, nimirum Waldenses appellat nominatim, postquam de Hæreticis suis, idest Albigensibus differuerat; quin etiam diserte affirmat, hos *longe minus* fuisse quam alios *perversos*; & quatuor capitibus errores eorum præcipuos circumscribit; *portandis scilicet sandaliis more Apostolorum, & in eo quod dicebant nulla ratione jurandum, vel occidendum; in hoc insuper quod asserebant, quemlibet eorum in necessitate, dummodo haberet sandalia, absque ordinibus ab Episcopo acceptis, posse conficere Corpus Christi*. Alia & multò graviora Waldensibus tribuuntur ab iis, qui adversus eosdem Tractatus scripsisse putantur; editi autem sunt a Gretsero (6), Ebrardus, Bernardus, Ermengardus: ex quibus Bernardus, quem eruditiorem aliis Gretserus prædicat (est fortasse etiam antiquior, si, ut apparet, interfuit disputationi, seu judicio habito contra Waldenses a Bernardo Narbonensi Episcopo qui eam Sedem tenuit ab anno 1181. ad 1191. (7)) hæc ipsis dogmata attribuit; *non esse obediendum summo Pontifici, aliisque Prælatis; spectare etiam ad laicos & mulieres prædicare; defunctis fidelibus non prodesse eleemosinas, jejunia, Missarum solemnia, alias orationes; non esse Purgatorium, sed spiritus a carne solutos continuo ire ad cælum, vel infernum; non esse orandum in Ecclesia, nec Ecclesiam esse nuncupandam*. Atqui hæc erant ipsa, quæ Albigensibus tri-



(1) Ap. Bolland ad d. 26. Febr.
(2) *Histoire des Albigeois, & des Vaudois, ou Barbets par le R. P. Benoist Par.* 1691. (3) Apparat. ad Monet. diss. 2. cap. 4. (4) Dist. 5. cap. 20. (5) Cap. 2. (6) Tom. XII. Part. II. Operum edit. Ratisb. a. 1738. & Bibl. PP. Lugd. edit. tom. 25.
(7) Sanmart. Gall. Christ. tom. 6. col. 97.

buebat Cæsarius. Ebrardus quoque hæreticorum, quos refutat, hos esse errores significat, quos nos tribuimus Albigensibus: idemque affirmare possumus de Ermengardo. Atque hoc nimirum fuit, quod viris ceteroquin doctis imposuit, fecitque ut Albigenses confunderentur cum Waldensibus; inscriptiones illæ *contra Vvaldenses*. Sed illas esse ab alia quam Auctoris manu, bene Cl. Ricchinius animadvertit: itaque hi qui a Gretsero ac si contra Waldenses scripserint, producuntur, vere adversus Albigenses pugnarunt: nisi vero hoc malumus; Waldenses eos oppugnasse, qui jam Albigensium errores imbiberant, & totam eorum labem contraxerant. Verum hoc fuisse, testis est inter ceteros Stephanus de Borbone, seu de Bella villa in libro *de septem donis Spiritus Sancti*, cujus libri ms. particulam Cl. Argentrè nobis repræsentavit (1). Is enim ubi Waldenses ita descripsit, ut præcipuum eorum errorem in eo statueret, quod Apostolorum vitam præpostere omnibus præscriberent, damnantes *Omnes terrena possidentes*, subdit; *Ii ergo primo ex præsumptione & officii Apostolici usurpatione ceciderunt in inobedientiam, demum in contumaciam, demum in excommunicationis sententiam. Post expulsi ab illa terra ad Concilium quod fuit Romæ ante Lateranense, vocati, & pertinaces fuerunt Schismatici postea judicati. Postea in Provinciæ terra & Lombardiæ cum aliis Hæreticis se admiscentes & errorum eorum bibentes & serentes, Hæretici sunt judicati, Ecclesiæ infestissimi & periculosissimi*. Hæc ergo nostra sententia est, quam video esse etiam virorum eruditissimorum. Petrus Claudius Fontenai (2) Waldenses non continuò a Catholica fide descivisse putat; sed postquam vitæ eorum approbationem quam a Romano Pontifice postulabant ( ut Abbas Urspergensis (3) narrat ) obtinere non potuerunt. Eadem ferme est opinio Cl. Ricchinii (4); principio a Waldensibus erratum in paucis, errasse vero enormiter post Lateranense IV. *Sive*, inquit, *quod Albigensibus intermixti ex eorum prava consuetudine multas etiam ebiberint ipsorum opiniones, sive quod a veritate Fidei atque unitate semel declinantibus, facilis est per prærupta ad novos semper errores casus*. Quantum vero erraverint, bene idem demonstrat ex antiquo Scriptore Reinero Sacchono.

V. Petrobusianos, atque Henricianos Manichæis annumerandos esse contendit doctissimus Meldensis Antistes Bossuetius

(1) Collect. Judic. tom. 1. pag. 86.
(2) Tom. X. Histoir. de l'Eglis. Gallic. liv. 29. pag. 298. V. & Fleury lib. 63. ad a. 1184.
(3) ad a. 1212.
(4) Differt. 2. cap. 3.

tius (1), cui accessit Mabillonius in Præfatione ad opera S.Bernardi (2). Et Manichæos quidem si intelligimus quicumque aliquid eorum, quæ novi isti Manichæi efferebant, admiserit; Manichæos dicamus: si vero hoc nomine eos contineri tantummodo volumus, qui illa adoptabant quæ Manichæorum doctrinæ erant præcipua capita, & quasi γνωρίσματα: vereor, ut Manichæi vere dici & haberi possint. Abaelardus, qui Petrum de Bruis nobis describit (3), ita eum errasse affirmat *ut multos rebaptizari cogeret, & venerabile Dominicæ Crucis signum removendum penitus censeret, atque altaris Sacramentum nullatenus celebrandum esse amplius adstrueret*. Prætereo quæ de baptismate hic habentur; coegisse scilicet Petrum multos baptisma iterum suscipere, quod necessarium eum voluisse significat, aut saltem non omnino superfluum: cum, ut de veteribus Manichæis taceam, de quibus antea dixi, novi certe, sive Albigenses, Petro Vallicernensi teste (4), affirmarent *sacri baptismatis undam ab aqua fluviali non distare*. Sed ut hoc prætercam, nihil ibi, unde Manichæos possis agnoscere. Petrus Cluniacensis, uberioris ejusdem Hæresis descriptionem instituit, & capita numerat quinque (5) *I. Parvulos infra intelligibilem ætatem constitutos Christi baptismate non posse salvari*: itaque cum adoleverant, pervenerantque ad eam ætatem ad baptismum cogebat: *II. Templorum vel Ecclesiarum fabricam fieri non debere, factas insuper subrui oportere: nec esse necessaria Christianis sacra loca ad orandum. III. Cruces sacras* præcipiebat *confringi, & succendi: IV. Non solum veritatem Corporis & Sanguinis Domini quotidie & continue per Sacramentum in Ecclesia oblatum* negabat, *sed omnino illud nihil esse, neque Deo offerri debere*, decernebat: *V. Sacrificia, Oblationes, Eleemosinas, & reliqua bona pro defunctis fidelibus a vivis fidelibus facta* deridebat, *nec ea aliquem mortuum vel in modico posse juvare*, affirmabat. Neque hic ullus Manichæismi odor; nisi vero malumus Manichæorum propria facere, quæ communia cum aliis habuere, aut quæ ejus sectæ nonnulli Manichaicis veluti corollaria addidere. At eodem pacto permiscebimus sectas omnes, & erunt Manichæi Pelagiani; nam convenisse in multis, Augustinus ipse (6) animadvertit. Quod de Petro Bruis dixi, idem valet in Henrico, quem in iisdem erroribus im-

(1) Histoir. des variat. lib.XI §.36.
(2) Num.75.
(3) Lib.2. Introd. ad Theol.
(4) Cap.2.
(5) Præfat. Tractat. adversf. Petrobus. Tom.XXII. Bibl. PP. edit.Lugd. pag.1034.
(6) Lib.2. contr. duas epist. Pelag. cap.2.

immoratum, pariter Cluniacensis tradit; quosque addidit, pauci sunt, & fere similes, ut quem unum ipse commemorat, & ex Cluniacensi Baronius (1), *Irrideri Deum canticis Ecclesiasticis*. Non sunt ergo aut Petrobusiani, aut Henriciani Manichæi. Manichæismi characteres hi fuere; ut vel rerum assererent duo Principia, vel si unum creatorem faterentur, dicerent tamen a Diabolo visibiles res distinctas esse sive perfectas; quod ex Vener. Moneta præsertim cognovimus (2). Atque hinc, quod Diaboli opus caro esset, conjugia damnabant, aut illorum conjugium dumtaxat admittebant (quod Eckbertus (3) tradit) qui Virgines conveniunt; nec ipsi tamen salvi esse poterant nisi aliquando segregarentur: hinc etiam carne vesci & lacte vetitum. Non dico simul hæc extare debere; præsertim cum studiose hæc illi occulerent (quod inter Manichæismi characteres ponendum esse censuit Bossuet (4);) sed aliquid tamen eorum semper emanat, vel observatione Hæreticorum disciplinæ, & loquendi usus extunditur. Hinc qui Petrobusianos & Henricianos Manichæos esse negavi, Manichæos facio Colonienses Hæreticos, adversus quos egit S. Bernardus *sermone* LXV. *&* LXVI. *in Cantica*. Mabillonius (5) hos ab Henricianis aliquantum diversos fatetur. vult tamen ex eadem radice prodiisse; imo ex Tanchelini officina. Fateor me hic quoque viro docto assentiri non posse. Catharos eos dicendos, atque eos esse Catharos ipsos, contra quos eodem ferme tempore Eckbertus pugnavit sermonibus illis suis, prorsus mihi persuadeo, credoque daturum me indicia non obscura. Primò ipsi quoque, quod Mabillonius adnotavit, conjugium damnabant, excipiebantque illud quod Virgines inibant. Hoc sermone I. de Catharis suis narrat Eckbertus; quod quidem *sermone* V. affirmat esse ex doctrina Hartuvini. II. *Persuasum habent*, ait Bernardus (6) de Coloniensibus quos oppugnat, *potestatem se habere quotidie in mensa sua Corpus Christi & Sanguinem consecrandi, ad nutriendum se in Corpus Christi, & membra*. Eckbertus vero de suis (7): *Ab uno viro qui de angustiis vestris exierat unam talem sapientiam vestram audivi; corpus vestrum, Domini est, & Corpus Domini facitis quando panem vestrum benedicitis, atque ex eo corpus vestrum reficitis ... nusquam tamen hic modus loquendi in scripturis invenitur, ut corpus alicujus hominis quantumlibet Sancti vocetur Corpus Domini*.

III. *Quæ*

(1) Ad ann.1197. num.13.
(2) Lib.1. (3) Serm.5.
(4) L.all. §.12. (5) In Præf. all. num.78. & ad serm.66. in Cantic.
(6) Serm.66. num.8. (7) Serm.XI. pag.628. Bibl. PP. tom.23.

III. *Quære ab illis suæ sectæ Auctorem; neminem dabunt*, ait Bernardus (1); & paulo post (2), *jactant se esse successores Apostolorum, & Apostolicos nominant*. Illi quoque Eckberti neminem sectæ suæ parentem appellabant; *Catharos* se, *Piphlos*, sive *Texerant* dicebant; ac præterea *Apostolorum vitam agere se dicunt*, ait Eckbertus (3); *sed contrarii sunt fidei sanctæ &c.* Prætereo quæ de Hypocrisi, & occultata doctrina uterque narrat de suis, & Bernardum affirmare (4), quos ipse arguit *de insania Manichæi præscribere*. Et Coloniæ quidem Catharos, sive Manichæos extitisse his temporibus non Eckbertus solùm, sed alii testantur. Cæsarius refert Hæreticos ibi quosdam deprehensos, atque igne damnatos; inter hos verò Virginem egregia forma, quæ flammis erepta, in eas ultro se injecit. Eamdem Historiam narrat Godefridus in Annalibus (5), atque expresse Hæreticos eos *Catharos* appellat, atque anno rem consignat MCLXIII. Cæsarius vero cum unum ex eorum dogmatibus fuisse dicat (6), *quod rusticus quilibet in mensa sua & de pane suo, quo vesceretur, conficere potest Corpus Christi*, se nimirum, corpusque suum; nonne Catharos eosdem subindicat quos Eckbertus atque Bernardus significarunt?

VI. Redeo ad Albigensium dogmata; quæ quidem, si, cum Waldensibus, qualia initio eorum fuere conferantur, dicenda sunt prorsus diversa fuisse: si Petrobusianorum, sive Henricianorum secta, cum secta Albigensium & novorum Manichæorum componatur; aliæ prorsus æstimandæ sunt. Nihilominus & Waldenses postea se in Albigensium labem demisisse videntur, & Albigenses Manichaica sua, Petrobusianorum & Henricianorum fœcibus exornasse. Quod facile profecto fuit. Nam de Petri Hæresi, Cluniacensis (7); *A Septimania vestra, vobis persequentibus expulsa, in Provincia Novempopulana, quæ vulgo Gasconia dicitur, & in partibus ei adjacentibus sibi foveas præparavit*. Henricum vero, in Cenomanensium regionem, cum venisset, atque ibi summum populi odium in Clerum concitasset (ut tradunt Acta Episcoporum Cenomanensium, quæ Mabillonius vulgavit (8)), hinc pulsum ab Episcopo descendisse in Tolosanas terras, eruitur ex S. Bernardo, ejusque vita a Gaufrido scripta (9). Nec vero abnuo, quæ superiori sæculo Hæresum monstra educta sunt, ad Albigensium se caulas

(1) Num.2. (2) Num.8. (3) Serm.1.pag.601. (4) Num.5. (5) Tom.1. Scriptor.German. Freheri edit. Argentor. a.1717. pag. 336. (6) Dist.5. cap.19. (7) Præfat. (8) Tom.3. Analect. (9) Lib.3. cap.6.

lis recepisse; Tanchelini dico, quem *Sacramentorum omnium hostem* dicit Hugo in vita S. Norberti (1), & *nihil Papam, nihil Episcopos, nihil Archiepiscopos, nihil Presbyteros & Clericos* esse affirmasse, legitur in Epistola Trajectensis Ecclesiæ ad Coloniensem Episcopum (2). Præterea Arnaldum de Brixia, quem post Lateranense Concilium an. 1139. Italia cedere coactum in Galliam venisse, ex S. Bernardo (3) colligitur; dogmata vero ipsius Otho Frisingensis (4) non hæc solùm fuisse tradit; *nec Clericos proprietatem, nec Episcopos Regalia, nec Monachos possessiones habentes aliqua ratione salvari posse; cuncta hæc Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere*: sed addit præterea; dici, *de Sacramento Altaris, de baptismo parvulorum non sane sensisse*. Bonaccursus (5) hunc Arnaldistis errorem tribuit, atque refellit; *quod pro malitia Clericorum sacramenta Ecclesiæ dicunt esse vitanda*.

## CAPUT II.

*De diversis Albigensium generibus, atque nominibus, origine Hæresis, & propagatione.*

I. Albigenses, uti cujuscumque sectæ Hæreticos alios, non eadem sensisse omnes, etsi per se est credibile; quòd qui a veritate discesserunt, nec sibi constare perpetuo possunt; *dum unusquisque*, ut Tertullianus scripsit (6), *suo arbitrio modulatur, quæ accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit*; tamen indicare videtur Petrus Vallicernensis. Eum diximus *Hæreticorum* nomine, Albigenses de quibus scribit, compellare. Ubi ergo Albigensium communia veluti dogmata exposuit, subdit; *Erant alii Hæretici, qui dicebant, quod unus est Creator, sed habuit filios Christum & Diabolum. Dicebant & isti omnes creaturas bonas fuisse, sed per filias, de quibus legitur in Genesi, omnia fuisse corrupta*. Postquam etiam alia, quæ Albigensibus omnibus tribuit, explicavit; iterum subjungit; *Non credimus autem silendum quod & quidam Hæretici dicebant, quod nullus poterat peccare ab umbilico & inferius. Imagines quæ sunt in Ecclesiis dicebant Idolatriam, campanas eorum tubas dæmonum affirmabant. Item dicebant, quod non peccabat quis gravius dormiendo cum matre vel sorore sua, quam cum quali-*

(1) Ap. Bolland. ad d.6. Jun.
(2) Ibid. (3) Epist.195.
(4) Lib.2. de reb.gest. Frider.c.20.
(5) Vit. Hæret. tom.13. Spicil. Dacher. vet. edit. pag.85.
(6) De præscript. cap.42.

*qualibet alia*. Albigensium diversa, ut dixi genera, hæc fuere; quod Auctor ipse in *Prologo* (ut inscribitur apud Tissierum) *ad Innocentium III.* testatur, scribens; *In prima autem hujus operis parte breviter tango de sectis Hæreticorum, & qualiter Provinciales infidelitatis lepra infecti fuerint a temporibus retroactis &c. Unde sciant, qui lecturi sunt, quia in pluribus hujus operis locis Tholosani & aliarum civitatum & castrorum Hæretici & defensores eorum, generaliter Albigenses vocantur: eo quod aliæ nationes Hæreticos Provinciales, Albigenses consueverint appellare*. Atque hinc quidem, illud primò capimus emolumenti, quod non est existimandum, qui eodem unius sectæ nomine compellantur, eadem prorsus esse secutos; ut si alia alios dixisse, Historici narrent; labet continuò veterum Scriptorum fides. De Christo Domino quam diversa, ac plane contraria Manichæi sentirent, superius attigimus. Verùm hic denuo manum injecit Beausobrius (1), & Manichæos eòdem omnes, non in diversa abire compellit. Quamobrem quod Augustinus Manichæos asserat, Christum intellexisse serpentis nomine, qui Evam decepit, turpiter hallucinatum, aut aperte mentitum putat. Cur? Quia Agapius, atque apud Epiphanium Tyrbo Christum faciunt non serpentem sed arborem scientiæ, quæ in Paradiso fuit. Nos quidem conciliari ista posse aliquando putabamus perlevi unius, vel alterius litterulæ transmutatione in Epiphanio & Photio, legentesque τὸν ὄφιν loco τὸ φύτον: habebamus vero istius emendationis hanc causam, quod magis sibi cohærere Epiphanii orationem, quo dogma ex Tyrbone haustum repetit, arbitrabamur: non dubitabamus vero, si Epiphanius corrigendus esset, esse etiam Photium, qui forte corruptum Epiphanii locum in eo Manichæorum dogmate ec isserendo spectasset, Agapiumque suum ita explicasset. Est autem hic Epiphanii locus (2): *Porro lignum illud, quo bonum dignoscitur, ipsemet Jesus est, sive scientia, quæ in hoc mundo residet; quam qui accipit bonum a malo discernit. Vides ut iste quicquid rectum est distorquere studeat, cum Apostolus diserte clamet ac prædicet „ Timeo ne sicut serpens decepit Evam astutia sua ita corrumpantur cogitationes vestræ a castitate & simplicitate in Christum „*. Quid cum ligno illo hic serpens; quid ad illud refellendum Apostoli hic locus, nisi pro *ligno* legamus ibi *serpentem?* Sed mss. codicum ope destitutus vereor antiquis Scriptoribus manus inferre; & ex Manichæorum diversitate, ut dixi, tota hæc controversia decidi potest. Ceterum Hæretici



(1) Tom.2. pag.453. (2) Hæres.66. num.54.

tici illi, quos primo loco designabat Vallicernensis iidem sunt, aut eis omnino similes, quos Catharorum alterum genus facit Vener. Moneta, describitque initio libri 1. & 11. (1), & ex eo Argentrè (2); *qui unum principium ponunt, sed qui duos filios babuerit, alterum malum, alterum bonum*. Quos secundo loco descripsit, Runcarii fuere, de quibus Reinerius (3); *Runcarii in magna parte concordant cum Patarinis, nisi quod dicunt, quod a cingulo deorsum non committatur mortale peccatum, quia Dominus dicit, quod ex corde procedunt fornicationes; unde omnes abominationes etiam contra naturam*. Atque hos quoque inter Catharos fuisse computatos, ibidem innuit Reinerus, & Pilichdorffius (4). Catharorum vero in numero collocandos Albigenses constare omnino debebit.

II. Interim de nominibus dicemus Albigensium diversis. *Provinciales* primò dicti fuere; a loco nimirum in quo Hæretici degebant. Et quamquam ab anno MXCVI., ut ex Urbani II. litteris constat, in quibus Raimundus vocat *Comitem Tolosanorum, Ducem Narbonæ, & Marchionem Provinciæ*, Provincia distingui a Tolosano Comitatu, & Narbonensi Ducatu videatur; tamen bene Hadrianus Valesius (5) admonuit; Petro huic Historico, totam terram Comiti Tolosano subjectam, nimirum Septimaniam totam, & partem Aquitaniæ, ac Provinciæ inter Druentiam & Isaram uno & communi nomine *Provinciam*, incolas *Provinciales* esse. Ab Innocentio quidem in litteris, quas Petrus Vallicernensis (6) recitat, reprehenditur *prava generatio, & perversa Provincialium*, ac deinde; *bujusmodi siquidem pestilentes Provinciales non tam jam nostra diripere, sed nos perimere moliuntur*. De Provincia tamen Auxitana, sive Novempopulana loqui tantummodo videtur. Sed, utcumque sit, rem certam facit Prologus, quem laudavimus, Petri Vallicernensis. Secundò fuit aliud nomen, quo *Boni homines* vocabantur. Testis est Concilium Lumbariense, quod adversus Albigenses esse coactum omnes fatentur. In eo enim primis statim litteris hæc habentur (7); *Anno ab Incarnatione Domini* MCLXV. *talis diffinitiva sententia lata est super altercatione & assertione, atque impugnatione fidei Catholicæ, quam expugnare nitebantur quidam qui faciebant se appellari boni Homines*; ac deinde *Interrogavit Lodovensis Episcopus eos, qui faciunt se nuncupari boni Homines jussu Episcopi Albiensis &c. Ego Gaucelinus Lodovensis Episcopus ex*

(1) Pag.5. & 109. (2) Tom.1. collect. Judicior. pag.47. (3) Cap.6. (4) Cap.12.

(5) Notit. Galliar. pag.458. (6) Cap. 8. (7) Collect. Hard. tom.2. p.2. col.1643.

*ex pracepto Albiensis Episcopi adsessorumque ejus, judico istos, qui vocant se bonos Homines Hæreticos esse*. Petrus Vallicernensis (1) de Albigensium fautore præcipuo Comite Tolosano narrat; *cum quadam die quæretur ex eo, cur cum tanta festinatione se faceret deportari, cum tam gravissima infirmitate laboraret, respondit miser; quia non sunt Boni homines in terra ista, inter quorum manus possim mori: Hæretici enim a fautoribus suis boni homines vocabantur*. Subdit aliud ab eodem Comite dictum; *Scio me exhæredandum fore pro bonis hominibus istis*. *Populicanos* appellatos, qui post arma ipsis illata dicti sunt Albigenses, contendit Argentre (2): cui quidem non magnopere repugno; cum constet hoc nomine illos fuisse appellatos, qui Hæretici in Gallia atque in Gasconia maxime invalescebant. Ms. cod. apud eumdem Argentrè Radulphi Cogeshalensis Monachi, qui Philippi Augusti ætate scripsit; *Temporibus Ludovici Regis Franciæ, qui genuit Regem Philippum, cum error quorumdam Hæreticorum, qui vulgo appellantur Publicani per plures Galliæ Provincias proserperet &c.* Guillelmus Neubrigensis (3); *Iisdem diebus erronei quidam venerunt in Angliam ex eorum, ut creditur, genere quos vulgo Publicanos vocat. Hi nimirum olim ex Gasconia, incerto auctore habentes originem &c.* Monachus Altissiodorensis (4); *Illorum, quos Puplicanos, vel Catharos, vel Patherinos Populicanos vocant: hæresis execranda, quæ Christi abnegat sacramenta per id tempus, clam quidem pluribus in locis irrepserat, sed palam in Gasconia maxime populos occuparat*. Verum si rem subtilius aliquanto æstimemus, hoc nomine, qui tunc erant Manichæorum labe infecti, omnes appellati videntur, itaque appellat Philippopoli degentes Villharduinus (5); atque in Ludovici VII. epistola ap. Freherum (6), & (7) Duchesnium legitur; *Archiepiscopus Remensis H. frater tuus nuper in Flandriarum terram profectus, ibi invenit homines depravatos erroris pessimi sectatores, in Manichæorum lapsos Hæresim, qui vulgo Populicani vocantur*. Decretum vero Lateranensis III. (8) *Quia in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis & aliis locis, ita Hæreticorum, quos alii Catharos, alii Paterinos, alii Publicanos, alii aliis nominibus vocant, invaluit damnata perversitas &c.* Publicanos ergo, sive Populicanos, sive etiam Poplicanos du Cangius (9) dictos putat Paulicianos, quos superius diximus

C 2 Mani-

(1) Cap.4. (2) Tom.1. Judic. pag.81. observat.1. (3) Lib.2. de reb. Anglic. cap.13. (4) In Chron. ad an.1181. (5) Num.208. (6) To.1. Script. Germ. (7) Tom.4. Script. Franc. (8) Cap.27. (Tom.3. p.2. Coll. Hard. col.1683. (9) Ad Villhard. pag.341.

Manichæos fuisse. Alia quæstio est de *Albanensibus*, utrum hoc nomen idem valeat ac *Albigenses*. Nam S. Antoninus (1) ubi id tradidit, quod ante eum multi; *Fuerunt tres secta Hæreticorum, scilicet Albanensium, Bagnolensium, & Concordensium, qui in multis erroribus eorum pessimis conveniunt, licet in paucis discordent. Hi dicunt quod sunt duo principia &c.* subdidit; *Nota quod isti Albanenses sunt Albigenses: contra hos Albigenses misit Innocentius III. &c.* Idem subindicare videtur Guido de Perpiniano, postquam Catharorum errores recensuit, narrans de erroribus eorum, qui sunt *de Correrio* (2), atque aliorum *de Barulo*, tum de hæresi *Albanensium*, cui subjicit hæresim Valdensium; alios enim esse, quos *Bagnolenses* & *Concordenses* vocavit Antoninus, lectis eorum dogmatibus constat. Atque harum trium sectarum, quæ in plerisque conveniebant, nomina alibi ita exprimuntur, ut non *Albanensium*, sed *Albigensium* illa dicatur. Extat præclarum Peregrini Prisciani monumentum de Armanni Pungilupi erroribus, quod Ludovicus Antonius Muratorius produxit (3), atque ex eo Cl. Ricchinius, ubi hæc habentur; *Et quoniam in Hæresim Bagnolensem Armannum prolapsum fuisse, testes suprascripti affirmant, idcirco necessarium duximus, Hæreseos ipsius capitula, & errores, brevissime tamen, scribere ... non prætereuntes & eisdem fere temporibus tres viguisse sectas, Albigensium scilicet, illorum de Bagnolo, & illorum de Concoretio*. Deinde in quibus hæ conveniant (sunt autem fere in omnibus) siglis designat A.B.C. Rem hanc decidit omnino Reinerus cùm in ea summa ampliori, quam Gretserus edidit, tùm in breviori, quam in lucem primo emisit Martene (4) deinde Argentrè (5). Nam Hæreticorum sectas sive sectarum nomina recensens, hæc scribit (6) *Secta Catharorum divisa est in tres partes, sive sectas principales; quarum primi vocantur Albanenses, secundi Concorezenses, tertii Bagnolenses; & hi omnes sunt in Lombardia. Ceteri vero Cathari, sive sint in Tuscia, sive in Marchia, vel in Provincia, non discrepant in opinionibus a dictis Catharis, seu ab aliquibus eorum*. Paulo post Catharorum Ecclesias numerans hæc habet (7); *Sunt autem* XVI. *omnes Ecclesiæ Catharorum .... quarum nomina sunt hæc; Ecclesia Albanensis vel de Sensano*, (in breviori summa *sive de Donzenacho*) *Ecclesia de Concorezo; Ecclesia Bagnolensium, sive de Bagnolo*, (in

(1) Summ. Theol. Part.IV. tit.XI. cap.7. (tom.4. col.596. edit. Veron. a.1740.) (2) Summa de Hæref. (3) Antiqu. med. ævi. tom.5. dissert.60. pag.94. (4) Tom.5. Anecdot. col.1759. (5) Tom.1. coll. jud. pag. 48. (6) Cap.8. pag.32. edit. Greis. (7) Pag.35.

( in brev. *Bajolensium sive de Bajolo* ) *Ecclesia Vicentina vel de Marchia. Ecclesia Florentina; Ecclesia de Valle Spoletana; Ecclesia Franciæ; Ecclesia Tolosana; Ecclesia Carthasensis* ( in brev. *Carcassensis, Albigensis*), *Ecclesia Albijensis; Ecclesia Sclavoniæ; Ecclesia Latinorum de Constantinopoli: Ecclesia Græcorum ibidem; Ecclesia Philadelphiæ Romaniolæ; Ecclesia Bulgariæ, Ecclesia Dugraniciæ. Et omnes origines habuerunt a duabus ultimis. Primi, scilicet Albanenses, morantur Veronæ, & in pluribus civitatibus Lombardiæ ... Illi autem de Concorezo sunt fere per totam Lombardiam ... Bagnolenses morantur in Mantua, Brixia, Bergomi, & in Comitatu Mediolanensium, sed pauci, & in Romaniola ... Ecclesia de Marchia nihil habet Veronæ, sed sunt circiter* 150. *Ecclesia Tolosana, & Albijensis & Gharchagensis cum quibusdam, quæ olim fuerunt, ut Ecclesia Auscienses* ( in brev. *Agennensis*) *quæ fere destructa est, sunt fere* 300. *Ecclesia Latinorum in Constantinopoli sunt fere* 50. *Item Ecclesia Sclavoniæ, Græcorum Philadelphiæ, Bulgariæ, & Dugraniciæ sunt omnis gentis simul*. Addit, *de propriis opinionibus Catharorum. Albanenses divisi sunt in duas partes in opinionibus contrariis, & diversis. Unius partis caput est Gelesimansa* ( in brev. *Belasinanza*) *Veronensis eorum Episcopus, & hunc sequuntur plurimi antiquiores, & pauci juvenes ejus sectæ. Alterius vero sectæ caput est Jo. de Lugduno Bergomensis eorum filius major & ordinatus Episcopus: & hunc e contrario sequuntur juniores & pauci antiquiores. Et ista pars satis est major quam prima. Prima pars tenet opiniones antiquiores, quas omnes Cathari antiquiores habebant in annis Domini currentibus* 1230. Sigillatim peculiares horum opiniones recenset, ac denique (1); *Ultimo nota, quod Cathari Ecclesiæ Tholosanæ & Carthasenses* ( in breviori summa ) *Ecclesiæ Tolosanæ, Albigensis, & Carcassensis*) *tenent errores Gelesmanse, & Albanensium, & Ecclesiæ omnes Catharorum de ultra mare, quas ultimò scripsi similiter. Nulla vero Ecclesia Catharorum concordat in omnibus cum Catharis Ecclesiæ de Concorezo. Ecclesia Franciæ concordat cum Bagnolensibus; illi vero de Marchia Tervisina, Tuscia, & Valle Spoletana concordant cam Bagnolensibus in pluribus, quam cum Albanensibus, sed paulatim trahuntur ab Albanensibus*. Fusiùs hæc descripsimus ex Reinero, quod multa inde colligere in rem nostram, atque etiam emendare nonnulla aliorum liceat. Et est Reinerus, cui vel propter eruditionem, vel propter pietatem fidem adhiberi, eruditissimi viri ju-

(1) Pag. 35.

jubent (1). Peritiſſimum certe earum rerum eſſe oportuit; cum fuerit eorum Antiſtes, ſive Epiſcopus, ut eum Leander (2) & Sixtus Senenſis (3) appellant. Ipſe ſe *Hæreſiarcham* vocat (4) quod non Hæreſis auctorem ſemper ſignificat, ſed fautorem præcipuum, vel qui principem locum inter Hereticos habet: quare matrem Comitis Fuxi *Hereſiarcham maximam* appellat Petrus (5). Hoc ſenſu atque hac ſignificatione occurrit apud eumdem *Hæreſiarcha Balduinus* (6), atque initio Hiſtoriæ; *vicinæ urbes & oppida radicatis in ſe Hæreſiarchis, inficiebantur mirabiliter & miſerabiliter peſte iſta*. Obiter hoc monui, quod Gloſſariorum illorum Auctores præterierit. Ex Reinero ergo emendandus eſt primò Du Cangius, qui (7) *Bagnolenſes* Hæreticos dictos vult a Bagnolo oppido Provinciæ *Bagnols*. Italos omnes, ſive in Italia fuiſſe eas ſectas, ſignificat aperte Reinerus. Itaque *Bagnolenſes* malo a Bagnolo ad Lenzam fluvium, ubi habet Leander (8); uti *Albanenſes* ab Alba Pompeja. *Concordenſes* ſive, ut aliquando appellantur *Concorezenſes*, & Guidoni, qui nomina hæc omnia transformat *Correrics*, dici a Concordia Lombardiæ oppido, conſentit idem Du Cangius. Deinde conſtat ex eodem Reinero Albanenſes ab Albigenſibus alios & diverſos eſſe, ſi homines ita nuncupatos, aut urbes ſpectes, unde nomen habuerunt; ſi vero dogmata atque errores, quibus infecti ſunt, ferme eoſdem fuiſſe. Atque inde, opinor, hos illi Scriptores nominant, horum doctrinam exponunt, nec de Albigenſibus, quos eadem profiteri noverant, cogitarunt.

III. Sed præcipuum illud ex Reinero colliges, Catharos fuiſſe Albigenſes, & Catharorum dogmatibus imbutos, ideſt Manichæorum. Ex veteribus quoque Manichæis quoſdam *Cathariſtas* fuiſſe appellatos *ideſt mundatores vel purgatores*, qui execrabili quodam modo ſubſtantiam divinam, quam in Euchariſtia ſumebant, purgarent, teſtis eſt S. Auguſtinus (9); qui etiam ibidem perhibet, Manichæos Dei ſubſtantiam, quam alimentis putant eſſe commixtam, exiſtimaſſe purgari eo genere vitæ quo eorum Electi vivunt. Atque eamdem nominis hujus rationem in novis his Manichæis fuiſſe, recte omnino Cl. Boſſuetus (10) arbitratus eſt. Paulo aliter nominis hujus cauſam explicare videtur Synodus Atre-

(1) Sixt. Senenſ. Bibl. Gretſer. Prolegom. cap.4. Ecchard. tom.1. Bibl. pag.154. Martene tom.5. Theſ. Anecd. col.1759. Argentrè tom.1. pag.46. &c.

(2) V. Echard. (3) L. all.

(4) In ſumm. ap. Martene.

(5) Cap.44. (6) Cap.3. (7) In Gloſſar. (8) Leander Alberti It.l. pag.364. edit. Venet. 1568. (9) De Hæreſib. ad Quodu. cap.46.

(10) Hiſtoir. des variat. tom.1. lib. XI. n.22.

Atrebatensis (1); Remensis vero a.1157. (2) repetere ex eo videtur, quod conjugium damnabant; sic enim habet Titulo de *Piphilis*; *Quoniam impurissima Manichæorum secta tergiversatione lubrica sub specie religionis, apud imperitissimos se occultans, simplicium animas perditum ire molitur, & per abjectissimos textores, qui sæpe de loco fugiunt ad locum, nominaque commutarunt, captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis; .... statuimus, ut quoniam inter sacrilega nefandaque, quibus non inquinare solum, verum etiam inficere Ecclesiam conantur, conjugium, quod a Domino institutum, sanctumque est, ut quasi puriores mundioresque valeant apparere, impudenter damnant &c.* Catharos hos esse liquet ex Eckberto (3), *Hos nostra Germania Catharos, Flandria Piphles, Gallia Texerant ab uxu texendi appellat*. Atque ex eodem habemus, in Catharis quos confutat dogmata fuisse ferme omnia quæ de Albigensibus Cæsarius, & Petrus Vallicernensis narrabant; ut illud de Corpore Christi Domini; *etsi magnitudinem Alpium in se contineret, jamdudum a comedentibus consamptum fuisset*. Eckbertus enim narrat (4); *vir quidam nostri temporis, qui infamatus erat, quod de Catharia vestra gustasset, cum interrogaretur in extremis suis, an vellet dari sibi Corpus Domini, dixisse memoratur; si esset illud Corpus Domini tantæ quantitatis, ut est petra Erenberti, jamdudum esset consumptum*.

IV. Atque hæc de Catharis quæ persecuti sumus, pertinent ad Albigensium originem inveniendam. Si *Albigensium* nomen velis, serius hoc auditum est, neque apparet in Concilio Lumbariensi a.1176. celebrato, ut vulgo creditum est, ut alibi dicemus. Hæreticos dico; nam *Albigenses equites*, & *Albigensem urbem*, etsi non apud antiquissimos sive Geographos sive Historicos; multo tamen ante hanc ætatem invenies (5). Si homines vero ipsos Hæreticos eorumque dogmata quæras, sunt in Gallia vicinisque regionibus suo nomine antiquiores. Et Hæreticos quidem illos, de quibus modo ex Cæsario & Godefrido diximus, ex Catharorum secta fuisse etiam animadvertimus, idest eorum qui ad has regiones postea venientes Albigenses dicti sunt. Hujusmodi etiam Hæretici illi, quos S. Bernardum refutasse narravimus, atque ex Evervini etiam Abatis litteris (6), constat consedisse Coloniæ. Addas Eckbertum, quem modo nominabamus. Jam vero Coloniam venisse Catharos *de Flandriæ partibus* Godefridus

(1) Spicil. Dach. tom.13.
(2) Tom.7. ampliss. collect. Marten. pag.72. (3) Serm.1. adv. Cathar. tom.23. Bibl. PP. pag.601.
(4) Serm.XI. pag.629. (5) V. notitiam Galliarum Hadriani Valesii pag.10. (6) Vol.1. oper. S. Bern. ex recens.2. Mabill. col.1490.

fridus testatur. Atque in Flandria, sive in vicino Belgio fuisse antea hujusmodi Hæreticos, testis est Synodus Atrebatensis (1), in qua hæc habentur; *Anno Dominicæ Incarnationis* MXXV. *Indictione* VIII. *Domno Gerardo Ecclesiam Kamaracensis, seu Atrebatensis urbis regente, quodam annuæ observationis more contigit, ut .... idem Præsul per aliquot dies stationem in sede Atrebatensi facere deberet. ubi .. relatum est ei, quosdam ab Italiæ finibus viros eo loci advenisse qui quamdam novæ hæreseos sectam introducentes, Evangelicæ atque Apostolicæ sanctionis disciplinam pervertere tentabant, & quamdam justitiam præferentes, hac sola purificari homines asserebant*. En Catharorum nomen; Catharorum vero dogmata sequuntur; Additur enim, & Sacramenta omnia eos respuere, *legittima connubia execrari* &c. de erroris vero auctore; *illi referunt, se esse auditores Gandulfi cujusdam ab Italiæ partibus viri*. Ergo hæc labes in Gallias ex Flandria, in Flandriam ex Italia profluxisse videri potest. Et Italiam quidem, veluti hæresum sentinam, unde in Galliam præcipue sparsæ sint, multi accusant: in quibus Mabillonius ex Italia etiam Henricum, Petri de Bruis sectatorem deducit. Nam, ubi ejus itinera persequens, Lausanæ invenit, nihil habens aliud, unde reliquam ejus viam colligere possit, subdit (2); *Et fortasse Lausanam venerat ex Italia, ex qua ejusmodi faces in partes Gallicanas transmigrarunt, reliquiæ Manichæorum*. At quodnam profert atque habet suspicionis suæ argumentum? quod nimirum ita sint *illi Cameracenses Hæretici ex Italia advecti qui a.* 1025. *damnati sunt in Synodo Atrebatensi*. Albigensem Hæresim ipsam ex Italia in Galliam irrupisse, decernit, elegantissimus Gallicæ Historiæ Scriptor P. Daniel (3), ex eo nimirum, quod Glaber Rodulphus scripserit (4); *Tertio de vicesimo infra jam dictum millesimum anno reperta est apud præfatam Aurelianensem urbem cruda nimium atque insolens Hæresis ..., Fertur namque a muliere quadam ex Italia procedente, hæc insanissima hæresis in Galliis habuisse exordium*. Quin ex ipsis Italis Scriptoribus Ludovicus Antonius Muratorius, relato hoc testimonio Glabri, (5) concedere idem videtur; quod præterea ex Landulphi senioris (6) historia habeatur, jam a. 1040. in Castello Montisfortis diœcesis Taurinensis ab Heriberto Archiepiscopo Mediolanensi Manichæos hæreticos inventos fuisse. Verum aliud longe est, Hæreticos in aliquam regionem venisse, & infecisse etiam Hæresi ali-

(1) Spicil. Dacher. tom. 13. pag. 2. (2) In præf. ad op. S. Bern. num. 73. (3) Hist. Philipp. Aug. ad a. 1208. & in V. Robert. ad a. 1017. (4) Lib. 3. cap. 8. (tom. 4. Scriptor. Franc. Duchesn. pag. 32.) (5) Tom. 5. antiq. med. æv. diss. 60. pag. 83. (6) Lib. 2. cap. 27. (to. 4. Script. Ital. p. 88.)

aliquos; atque aliud, ex illis, primo veluti ex fonte Hæresim ipsam repetendam; ita ut non earum regionum alii aliunde hauserint. Ex Flandria sive ex Belgio irrepere potuisse in Gallias, aut ex Coloniensi urbe vidimus, atque id significare Cæsarium: imo si antiquiora monumenta excutiamus, antequam Aurelianum afferretur ab Itala muliere, Manichæorum Hæresim in Gallia consedisse reperiemus. Illud enim factum narratur a.1017. At Ademarus Chabannensis in Chronico, ubi res gestas a.1010. exposuit, narrat (1) *Pauco post tempore per Aquitaniam inventi sunt Manichæi seducentes plebem, negantes baptismum & sanctæ Crucis virtutem, & quicquid sanæ doctrinæ est, abstinentes a cibis &c.* Deinde multis interjectis illud idem Glabri de Aurelianensium Hæresi & Lisoi supplicio refert (2), de Itala tamen muliere tacet. Ergo ante illud tempus erant in Gallia Manichæi. Sed rem ipsam attentius consideremus. Hæc Manichæorum, sive Catharorum hæresis quæ in Gallia his temporibus invaluit, *Bulgarorum* Hæresis appellatur. Monachus Altissiodorensis in Chronologia (3) de Philippo Augusto, atque ipsa Hæresi Albigensium; *Hæreticos quos Bulgaros vocant vehementer studuit insectari .... Per idem tempus Bulgarorum Hæresis execranda, errorum omninm fæx extrema multis serpebat in locis, tantò nocentius, quantò latentius. Sed invaluerat maxime in terra comitis Tolosani & Principum vicinorum .... Quocirca de Consilio Domini Papæ, Cisterciensis Abbas, aliique Abbates circiter* XIII. *delegantur &c.* & ad a.1201. *Eurandus miles, quem Henricus Nivernensis Comes terræ suæ præfecerat, hæresis illius quam Bulgarorum vocant coram Legato arguitur* Idem iisdem verbis in Chronico Matthæus Paris ad a. 1236. *Circa dies autem illos invaluit Hæretica pravitas eorum qui vulgariter dicuntur Paterini & Bulgares in partibus transalpinis ... adeo quod fidei puritatem in finibus Franciæ, & Flandriæ ausi sunt perturbando violare. Sed diligenti ministerio, & indefessa prædicatione Minorum & Prædicatorum &c.* Hic *Burgares* editiones nonnullæ (4) repræsentant: sed palam est, Bulgaros intelligi debere; Ita ad a. 1238. (5) de F. Roberto Ordinis Prædicatorum; *In regno Francorum multos comperit hæretica pravitate maculatos, præcipue tamen in Flandria .... ipsos autem nomine vulgari Bugaros appellavit, sive essent Paterini, sive Joviniani vel Albigenses ... Ipsemet enim Robertus memoratus antequam habitum Religionis suscepisset Bugarus extiterat.* Idem iisdem verbis

 Guil-

(1) Tom.2. nov. Bibl. ms. Labbè pag.176. (2) Pag.181. (3) Robert. Altifs. (4) Londin.1640. pag.429. (5) Ib. pag.482.

Gulielmus de Nangis in Chron. ad a.1207. (1). Historia Francorum ms. ap. Ducangium (2) ad a.1223. de Philippo Aug. *Envoja son fils en Albigeois pour destruire l'Herese des Bougres du pays*. Alia Gallice scripta monumenta præferre hoc nomen, testatur in Bearnensi Historia (3) Petrus de Marca; qui etiam explicat eam vocem, idest Hæresim qua Bulgari erant infecti, Nam Petrus Siculus Paulicianorum, idest Manichæorum qui in Armenia erant consilium declaras; *ab ipsismet*, inquit (4), *impiis & delirantibus cognovi, quod e suo Conciliabulo missuri essent qui in Bulgaria quoscumque possent a Catholica religione ad suam exsecratam & nefariam sectam averterent*. Executos esse consilium suum, colligi ex Reinero potest, qui inter Ecclesias Catharorum numerabat Bulgariæ, & Dugraniciæ. Ubinam terrarum Dugranicia sit, quærunt multi, nec sane interest scire; & si augurari licet *Dragovintiam* interpretarer, quam apud Codinum legit Ortelius, creditque Thraciæ Præfecturam, quæ sane erit Bulgariæ proxima. Sed Reineri verba maxime attendenda sunt, quibus Catharorum omnes Ecclesias a duabus ultimis, idest Bulgariæ & Dugraniciæ origines habuisse dicebat. Ergo & Albigensis, quam supra memoravit. Bene ergo constant omnia, & Bulgarorum nomen, quod Albigensibus, sive Albigensium Hæresi tribuitur, & Rainero auctoritas. Addo & rei per se spectatæ rationem. Ut enim Petrus de Marca adnotavit egregie (5); cum Franci Sæculo XI. Hierosolyma potiti essent, & XIII. Orientale imperium fundassent, maximum erat inter Francos, Bulgarosque commercium; cum horum regio terrestri itinere Constantinopolim versus jaceret. Nihil autem fuit facilius, quam & errores quo infecti erant haurire. Et ante quidem ea tempora idest Sæculum XI. nullum Manichæorum hæresis aut in Gallia, aut in Italia, aut in toto Occidente vestigium. Patet ergo, si in re dubia conjecturis agendum est, Manichæorum sive Catharorum Hæresim non in Galliam ex Italia, sed ex Gallia profectam in Italiam; adeoque Albigensium originem ex eorum Francorum, qui cum Bulgaris commisti sunt, erroribus esse aliquando repetendam. Sed de nominis ipsius *Albigensium* origine erit fortasse qui quærat, a quanam civitate sint nuncupati. Hoc

Reve-

(1) Tom. XI. Spicil. Dacher. vet. edit. pag. 484. (2) Glofs. v. *Bulgari*.

(3) Lib. 8. cap. 14. pag. 728.

(4) Pag. 3. edit. Rader. (5) *Le Manicheisme avoit esté introduit en France des les temps du Roi Robert; mais cette impieté y fut provignée au moyen de la communication, que les François eurent avec les Bulgariens, depuis la conqueste de Jerusalem: cette region se trouvant sur le chamin de terre vers Constantinople.*

Reverendiss. P. Antonini Bremond Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri, eruditioni, ac diligentiæ debemus, ut ab Alba Augusta, a qua multi arcessunt hoc nomen, *Albigam*, seu Albiam, quæ *Alby* vulgo appellari solet, distinguentes, ab altera hac, non vero a prima, ut nonnulli fecerunt, derivemus. Sed totum hoc fuse atque ita accurate in Ordinis Prædicatorum Annalibus, qui nuper elegantissimi prodierunt, pertractatum est (1), ut nihil addi possit: ubi, & illud quæsitum est, quare ab hac potissimum civitate nomen invenerint Albigenses. Accedimus vero sententiæ, quæ ibidem laudata est, quòd magna eorum in Albigensi tractu multitudo esset olim, ideo de iis tollendis serio cogitatum. Nec tamen non sunt aliis aliarum regionum, sive oppidorum nominibus insigniti. *Tolosates* vel *Tolosanos* vocatos, ostendunt Maurini, qui Occitaniæ historiam perscripserunt (2). Agenenses etiam vocatos liquet ex Roberto de Monte, qui ad a.1178. scribit; *Hæretici, quos Agenenses vocant, & alii multi convenerunt circa Tolosam male sentientes de Sacramento Altaris, & de conjugio & de aliis Sacramentis; ad quorum confutationem Petrus Legatus Romanus & multa aliæ religiosæ Personæ cum prædictis Regibus convenerunt, & parum profecerunt*. Ita in probatioribus editionibus(3). Agennensem nimirum urbem infecerant, ut Radulphus Ardens (4); *Tales sunt hodie, fratres mei, hæretici Manichæi, quia sua hæresi patriam Agennensem maculaverant*. Itaque imperite nonnulli emendare maluerunt *Albigenses*.

V. Atque hic quidem locus postulat, ut de propagatione hujus hæresis tandem dicamus. Valebit enim ad alia eorum Hæreticorum nomina internoscenda. Et Cæsarius quidem *in tantum Albiensium errorem invaluisse* dicit (5), *ut in brevi intervallo temporis infecerit ad mille civitates*, additque; *& si non fuisset gladiis fidelium repressus, puto quod totam Europam corrupisset*. Horum civitatum aliquæ erant ita populosæ, ut in ea quæ *Biders* (Biterræ) vocabatur *plusquam centum millia hominum* esse dicerentur. In Concilio Lateranensi, uti superius monuimus, dicuntur Hæretici, qui Albigenses fuisse nonnullis videntur, invaluisse in *Gasconia*, *Albegesio*, *& partibus Tolosanis & aliis locis*. Bernardus Guidonis in Vita Innocentii III.(6) narrans Cistercienses adversus Albigenses allegatos, *in terram Albigensium*, *& in Tholosanum*, *& in Carcassesium* transmissos ait, atque iterum postea *Albigenses Tolosa-*



(1) Pag.86. (2) Tom.3. pag.554. (3) In collect. Pistorii Script. German. tom.1. pag.663. de la Barre Histor. Christ. pag.471.&c. (4) Sermon. Domin. oct. post Trinit. (5) Dist.5. cap.21. (6) Tom.3. Script. Murator. pag.481.

*losanos Carcassonenses* nominat: idemque Almaricum filium Simonis Comitis Montisfortis, cui cesserant regiones hæresi infectæ atque armis expugnatæ, resignasse dicit Regi Franciæ *Comitatum Tolosanum, totamque terram aliam, quam Pater suus, & ipse habuerat adquisitam & sibi datam in Agenesio, & Albigesio, Caturcinio, & Carcasesio*. Tolosanus & Conforanensis Episcopi Romam venerunt, ut Petrus Vallicernensis habet (1): *Supplicaturi Domino Papæ, ut periclitanti in Narbonensi Provincia, & Bituricensi, & Burdegalensi pro pace Ecclesiæ, ut quasi penitus naufraganti manum porrigat adjutricem*. Guillielmus de Podio Laurentii in Prologo Historiæ suæ; *Cum inter hæc quæ gesta referuntur ab annis* C. *circa, inter hæc nostra maria in Europa illud valde dignum memoria sit habendum, quod cœptum pro fide Catholica defendenda, & pravitate Hæretica extirpanda in Provincia Narbonensi, & Albiensi, Ruthenensi, Caturcensi, Agennensi diœcesibus, & quibusdam terris ultra Rhodanum Domini Comitis Tolosani*. Egressam tamen hos etiam fines hanc Hæresim testatur Matthæus Paris ad annum 1214.(2) *Circa dies istos Hæreticorum pravitas qui Albigenses appellantur, in Vvasconia, Arumpnia & Albegesio, in partibus Tolosanis & Arragonum regno adeo invaluit &c.* Non facile est, quæ regio sit *Arumpnia* divinare; quæ quidem non longe ab Albia sive Tolosa fuisse videtur. Suspicor *Arverniam* ita nominasse. Suspicionis hujus meæ causam dedit Aimoinus; nam in descriptione ejus Aquitaniæ, lego; *Secundum quam traditionem in Aquitania continentur urbes egregiæ Narbona, Arunnias, quæ nunc Clarus mons vocatur, Cadurx, Tolosa &c.* ita in editione Parisiensi recensente Jacobo de Breul (3), etsi in aliis quibusdam (4) reperiatur *Arvernus*. Si ergo *Arunnias* urbs erat Arvernus; quin & *Arverna* regio *Arunnia*, sive illi consueto pronunciandi modo *Arumpnia* diceretur? Ceterum ex eo habetur & in Aragoniam penetrasse hanc pestem, quod factum puto cum in Raimundi Comitis Tolosani auxilium idest Albigensium Rex Aragonum venit. Verum de Hispania ab Albigensium Hæresi attentata, testis est luculentissimus Lucas Tudensis, libris tribus adversus Albigenses scriptis, ubi (5) & Legione quid conati sint falsorum miraculorum opera, tradit. In Angliam pervasisse, multi narrant, præsertim Anglicani Scriptores, ut Henricus de Knyghton ad annum Innocenti III. 5.(6) *Albigenses Hæretici venerunt in Angliam, quorum aliqui comburebantur vivi*. Verùm maxi-

(1) Cap. 9. (2) Pag. 241. edit. Londin. a. 1640. (3) Parif. 1603. p. 7. (4) Tom. 3. Scriptor. Duchesn. p. 5. (5) Lib. 3. cap. 9. (tom. 25. Bibl. PP. pag. 244.) (6) Inter Script. Angl. Tuysden col. 2418.

maxima eorum multitudo Galliæ incubabat; atque apud Petrum Vallicernensem, ut vidimus, Provinciæ nominantur Narbonensis Bituricensis, Burdegalensis; apud Guillemum de Podio Laurentii, Provincia Narbonensis; Diœceses vero Albiensis, Ruthenensis, Cadurcesis, Agennensis; in litteris Innocentii III. Provincia appellabatur Auxitana. Supervacaneum est admonere; apud hos Provincias non Civiles sed Ecclesiasticas nominari; item Diœceses illas in Narbonensi provincia nequaquam fuisse. Albiensis antequam Metropolis esset, quod Innocentio XI. factum est, in Bituricensi provincia erat, ut legitur etiam in Notitia, quam ex Regio codice Holstenius edidit; atque in eadem erant, ut ibidem habetur, Ruthenensis, & Cadurcensis, quæ Albiensi Episcopo nunc subduntur; in Burdegalensi vero Aginnensis. Auxitana Provincia, quæ Ausciensis nunc appellari solet, Episcopatus habebat Aquensem, Convenarum, Conseranensem, qui in Albigensium Historia sæpe nominantur, eosque nunc habet. Metropoles nunc quoque sunt, Narbonensis, Bituricenses, Burdegalensis; subdunturque Narbonensi, Episcopatus Biterrensis, Carcassonensis, Monspeliensis, Lodovensis, Uceticensis, pariter in hac historia celebres; quamquam Uceticensem urbem, & Episcopum Petrus Vallicernensis Uticensem sæpius nominat; & Uticensis quoque dicitur in laudata Notitia. De Narbona vero ipsa, hoc vel ex nostra Historia constat, Archiepiscopo jus in eam fuisse. Atque eum quidem Narbonensem fuisse Ducem ajunt ad Sæculi XI. finem, dum Tolosanus Dux Raimundus de S. Ægidio titulum jusque illi auferre voluit: Archiepiscopos tamen in ea se possessione tenuisse ad nostra hæc tempora constat ex Innocentii III. litteris, atque ex Vallicernensis Historia (1). Itaque Narbonenses Vicecomites sæpius occurrunt. Aymericus *Dei gratia Vicecomes Narbonæ* subscribit Diplomati S. Ludovici (2). Aymericum *Dominum Narbonæ* nominat Petrus Vallicernensis (3). Ita & apud eumdem (4) *Raimundus Rogerii nomine Vicecomes Biterrensis*; atque alibi (5) *Vicecomes Biterrensis Raimundus Rogerii qui apud Carcassonam tenebatur in palatio in infirmitate laborans defunctus est*. Bernardus Guidonis, sive Auctor Vitæ Innocentii inter Scriptores Muratorii (6) *Rotgerius seu Raimundus Rotgerii Vicomes Bitterrense, & Carcassone nepos Comitis Tolosani*. Primorum Vicecomitum Biterrensium origo non satis in aperto est. Petrus Raimundus Vicecomes Biterensis apparet a. 1040. item Carcassonensis. Carcassonam pertinuisse postea

(1) Cap. 82. pag. 657. (2) Ap. Duchesn. pag. 816. (3) Cap. 17. & 76. (4) Cap. 6. (5) Cap. 16. (6) Tom. 3. pag. 481.

postea ad Reges Aragoniæ, testatur Petrus Vallicernensis non uno in loco (1).

VI. Sed ut ad regiones revertamur, quas Albigensium Hæresis pervasit, principem earum urbium Petrus facit Tolosam (2) *Hæc Tolosa*, inquit, *tota dolosa a prima sui fundatione, sicut asseritur, raro vel unquam expers hujus pestis, vel pestilentiæ detestabilis, hujus hæreticæ pravitatis, a patribus in filios successive veneno superstitione infidelitatis diffuso*. De Biterrensi urbe postea (3); *erat autem Biterris civitas nobilissima, sed tota veneno hæreticæ, pravitatis infecta*: & de Carcassona (4) *cives etenim Carcassonenses pessimi erant Hæretici, & peccatores coram Domino nimis*. Sed infinitum foret singula oppida aut castella: enumerare; cum frequentissimas fuisse eas regiones omnino constet ex Albigensium Historia Petri Vallicernensis, & ex Guidonis epitome ejusdem (5), sive ex Innocentii atque Honorii III. Vita nomine ejusdem Bernardi (6). *Et in Albigensi quidem territorio* Petrus narrat (7) castrum fuisse *nobilissimum quod dicitur Castra quasi caput totius territorii Albigensis*. Itidem aliud castrum nobilissimnm appellat *prope Albiam nomine Lumbers*. Alibi (8) in eodem territorio Albigensi *Castrum Rabatense* nominatur *Monsacutus*, *Galliacum*, *Causacum*, *S. Marcellus*, *Guespia*, *S. Antoninus*; sex hæc postrema Comes Tolosæ Raimundus abstulerat hoc tempore Vicecomiti Biterrensi, nimirum Raimundo Rogerii, Comitis Tolosani nepoti (9). His alibi cum recensentur (10) a Petro Monacho additur castrum de Grava. In diœcesi Tolosana ibidem hæc collocantur Podium Laurentii, quod alibi (11) vocat *castrum Podii Laurentii*, additque; *erat autem Podium Laurentii quoddam nobile castrum tribus leucis distans a Vauro in diœcesi Tolosana*: premiserat ejus Dominum fuisse Sicardum; item Casser, S. Fœlix, Mons-Ferrandus, Avinio, S. Michael, Cuc (quod aliàs (12) Mons-Cuc dicitur) & Saverdunum. Alibi Apamiæ (13) circa Carcassonam, præcipuum oppidum Albigensium, & in hac historia celeberrimum (14) *tria castra munitissima* collocantur (15) *in quibus*, ait Petrus Vallicernensis, *habitabant tunc temporis præcipui fidei nostræ inimici*. Minerba hoc quoque in historia celeberrimum (16), castrum Finarum, Cabaretum (17). In territorio Caturcensi quod (18) magna

(1) Cap.26. 47. &c. (2) Cap.1.
(3) Cap.16. (4) Cap.16.
(5) Histoire des Comt. de Tolos. par Catel. pag.37. App. (6) Tom.3. Script. Ital. Murat. pag.480. & 568.
(7) Pag.575. tom.5. Script. Duchesn. cap.22. (8) Pag.601. c.54.
(9) Ibid. (10) Pag.609. cap.58.
(11) Cap.53. (12) Pag.615.c.62.
(13) Cap.24. pag.576. (14) Vid. cap.16. pag.570. (15) Pag.474. c.20.
(16) V. cap.37. pag.583.
(17) V. cap.23. pag.575.
(18) Cap.55. pag.602.

gna saltem ex parte Comiti Tolosano parebat terras fuisse multas idem Petrus indicat (1) nominatque Caslutium. In territorio Aginnensi Marmanda (2) Penna (3) &c. Nihil necesse est recensere singula. Illud hic adnotare non pigebit, postremum hoc castellum *Pennæ*, ita a Petro vocatum, intelligi debere in Vita Innocentii, Guidoni tributa (4) ubi legitur; *Anno eodem Domini prætaxato* MCCXII. *nonis Junii castrum pene Agennensis fortissimum a Comite Simone Montisfortis cum exercitu crucesiguatorum in manu validu obsidetur, & post plurimos insultus & conatus bellicos castrum capitur & obtinetur in festo S. Jacobi Apostoli*. Hoc enim totum narrat Petrus (5) concluditque; *Anno igitur Incarnati Verbi* 1212. *mense Julii in festo S. Jacobi, ejectis adversariis, recepit Comes nobile castrum Pennæ*. Omisimus tamen quod erat præcipue commemorandum, quod valeat aliquid ad Albigensium Historiam illustrandam *Arrium*, sive *Castrum Arrii*. Meminit hujus Petrus Vallicernensis (6) *Britones tendentes ad Comitem venerunt ad Castellum nomine Arrii, quod adhuc erat Comitis Tolosæ, in territorio Tolosano*. Sæpius apud eosdem *Castrum novum de Arrio* nominatum invenitur; quod mortuo Simone Comite Montisfortis, Comiti Tolosano redditum narrant iisdem fere verbis Guillelmus de Podio Laurentii (7) & Auctor Vitæ Honorii nomine Bernardi Guidonis (8); *Vacillante igitur terra casibus inopinatis satis post paucos dies Castrum novum quod dicitur de Arrio redditur Comiti Tolosano*: quin etiam solemnis illa Amalrici, filii Simonis Montisfortis inauguratio in militem facta est, convenientibus Episcopis, & Principibus viris, ut Petrus Vallicernensis docet (9), *apud Castrum novum Arrii*. Atque idem castellum postea præcise nominatur *Castrum novum*; *Comes autem quia tempus æstivum erat; & quia Castrum novum non poterat competenter capere tantam multitudinem, eò quod jam semel, vel bis fuisset destructum &c*. Quo quidem ex loco atque ex historia ipsa patet; hoc nimirum esse castellum illud, quod antea fuse obsessum fuisse narraverat (10), & post acerrimum conflictum atque illustrem victoriam ad S. Martini arcem, obsidione liberatum (11). Itaque omnino liquet, celeberrimum in Albigensium Historia esse. Verum quorsum tam multa de illo, & quid lucis hoc afferre Historiæ nostræ potest? Mirum videri po-

(1) Ib.
(2) Bernard. Guid. in Vit. Honorii III. ad a.1219. (3) Cap.63. p.616.
(4) Ad a.1212. pag. 482. Script. Murat. (5) Pag.619. cap.63.
(6) Cap.40. (7) Cap.31.
(8) Tom.3. Scriptor.Murat. p.568.
(9) Cap.70. (10) Cap.56.
(11) Cap.58.

ri solet, miratique sunt viri docti, Albigenses nonnunquam apud veteres scriptores, Arrianorum nomen obtinere. Non nego perverse saltem aliquos de Christi persona & divinitate sensisse. Id ex Moneta (1) cognoscere satis possumus. Addo, alios ut Gulielmum de Podio S. Laurentii *in Prologo*, ejusque Epitomen Bernardi Guidonis, & Auctarium Aquicinctinum a Miræo cum Sigeberto editum, cum Manichæorum, Valdensium, Cataphrygum etiam erroribus, numerare, atque his adscribere simul Arrianorum. Verum Arrianos præcise atque absolute vocari, quis non miretur? Atqui, ut sileam ceteros, ita vocantur ab Hovedeno, qui Concilio Lumbariensi adversus Albigenses coacto titulum hunc præfixit (2) *Hæresis Arriana ejusque damnatio*; Arrianam verò Hæresim sæpius deinde vocat. Et Baronius quidem Concilium hoc ex Hovedeno eodem producturus scribit (3); *Hoc item anno detecti sunt Hæretici Tolosates sive Albienses dicti, Manichæis potius quam Arianis affines, licet Ariani nominati inveniantur*. Du Cangius in Glossario *V. Arriani*, ab illis antiquis hos diversos fuisse fatetur, licet eodem nomine nuncupentur. Equidem ita diversos existimo, ut nominis quoque ratio in utrisque sit longe diversa. Ut id suspicarer monuit me leviuscula illa unius litterulæ *r* discrepantia. Nam Arium illum & Arianos ab illo, probatiores libri editi & ms. efferunt; hos autem video omnes *Arrianos* communi consensu pronunciare. Ergo non ab Ario homine & Hæresiarcha, sed a castello Arrio dictos credo. Et a regionibus quidem sive oppidis, sectas recentiorum Manichæorum sive Albigensium dictas (quod forte inter se dissiderent sententiis, sive, quod magis puto, quod non tam quid crederent, quam cui se domino dederent, spectaretur, atque alios aliàs sequerentur) probant alia nomina Tolosanorum Hæreticorum, Agennensium, Bagnolensium, Concordiensium, Albanensium &c. de quibus diximus. Si ergo Arrium celebre Comitis Tholosæ castellum memorant harum rerum Historici Petrus Vallicernensis, Guillelmus a Podio, Auctor vitæ Honorii III., quin nos dicamus, quod apud Hovedenum ita sæpe habetur *Hæresis Arriana ejusque damnatio*, ubi Concilium refert Lumbariense: & ad a.1178. *Interim Arriana Hæresis, quæ damnata erat in provincia Tolosana &c.* non ab Ario Hæresiarcha, sed ab Arrio castello, quod famosissimum est in Albigensium Historia dictum fuisse? Verum ni hoc sit aut plane falsum si sit, doceri equidem velim.

CA-

(1) Lib.3. cap.3. §.1. pag.234.
(2) In Henrico II. pag.155. Scriptor. rer. Anglic. Savilii edit. Wechel. a.1601.
(3) Ad a.1176. num.3.

# CAPUT III.

## De Albigensium Hæresis propugnatoribus, atque ejusdem expugnatoribus.

I. ALbigensium Hæresis nullum certum auctorem his temporibus proferri posse, superius admonui, & ex iis qui de ea scripserunt antiquis probatisque Auctoribus satis liquet. Itaque valet in his omnibus quod de Hæreticis Coloniensibus S. Bernardus (1); *Quære ab illis suæ sectæ auctorem; neminem dabunt*. Et tamen nonnulli sunt, qui quod eam in alienas terras advexerint, vel quod illi propagandæ maxime studuerint, nominatim ab iisdem Historicis appellantur. Et primo si Albigenses sunt Colonienses illi Hæretici, quos Cæsarius narrat, fuit inter eos præcipuus, & Magister ceterorum Arnoldus. *Sub Archiepiscopo Reinaldo*, ait Cæsarius (2), *Coloniæ plures Hæretici sunt comprehensi, qui a litteratis viris examinati, & victi, per judicium sæculare damnati sunt. Data vero sententia cum ducendi essent ad ignem, unus illorum Arnoldus nomine, quem ceteri Magistrum suum fatebantur, sicut narraverunt qui interfuerunt, panem & pelvim cum aqua sibi dari petivit &c.* Albigenses autem, aut Albigensibus similes hos fuisse, superius diximus. In Chronico Jo. Brompton *Gerardus* præterea Hæreticorum id genus princeps appellatur; *Eodem quoque tempore* ait ad a. 1159. (3) quidam *Hæretici Angliam ingressi sunt in universo circiter* XXX. *homines, & feminæ quasi lingua Theutonicæ, quemdam Gerardum nomine aliqualiter litteratum, tamquam præceptorem, & principem, imperiti ydiotæ sequentes. Rex vero ipsos in custodia deprehensos indiscussos vel impunitos dimittere nolens, præcepit Episcoporum Concilium apud Oxoniam celebrari. Ubi de Fidei articulis interrogati, ille litteratus pro omnibus una voce respondit, se esse Christianos, & doctrinam se velle Apostolicam venerari: sacrum vero baptisma, Eucharistiam, & conjugium detestantes ausu nefario unanimiter respuerunt. &c.* Idem & fusius aliquantò narrat Gulielmus Neubrigensis (4), Gerardum hunc eorum ducem appellans; *duce quodam Gerardo, in quem omnes tamquam præceptorem ac principem respiciebant*. Præterea Hartvvinum ejus dogmatis auctorem, *quod illud conjugium solum justum est, in quo virgines conjunguntur, & quod unam tantum prolem gignere debent*, superius ex Eckberto

E

(1) Serm. 66. in Cant. n. 2. col. 1497.
(2) Cap. 19. dist. 5.
(3) Inter Scriptor. Angl. Tuysdeni col. 1050.
(4) Lib. 2. cap. 13.

to (1) narravimus. Sed certiores Albigensium principes sive doctores nobis sufficere videtur Hovedenus, hæc referens ad anno 1178. (2) *Inter hæc pervenit ad aures illorum* (qui nimirum ad Arrianam, ideſt Albigensium hæresim exscindendam missi fuerant) *quod quidam falsi fratres Raimundus videlicet, & Bernardus Raimundi, & quidam alii hæresiarchæ transfigurantes se in Angelos lucis, cum sint sathanæ, & christianæ fidei contraria prædicantes, multorum animas falsa prædicatione sua decipiebant, & secum traxerant ad inferos.* Accusati vero fuerunt ab iis, qui affirmabant *se audisse a quibusdam illorum, quod duo dii existerent alter bonus, & alter malus; bonus qui invisibilia tantum, & ea quæ mutari aut corrumpi non possunt fecisset, malus qui cælum, terram, hominem, & alia visibilia condidisset .... Alii autem dicebant se audisse ab eis in prædicatione sua, virum cum uxore non posse salvari, si alter alteri debitum reddat .... baptismum parvulis non prodesse .... cum juramentum tamquam rem execrabilem & a Dommino probibitam abhorrerent &c.* Eorum vero condemnationem postea subdit Hovedenus, & litteras recitat de eo scriptas Catholicis a Petro Cardinali Legato. Sed alius est apud eumdem, sive in epistola quam recitat Henrici Abatis Clarevallensis, Tolosatium Hæreticorum ideſt Albigensium Doctor, *quem ita, peccatis exigentibus diabolus excæcaverat, ut se ipsum Joannem Evangelistam diceret, & verbum quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum principio, tamquam a Deo altero segregaret*: atque additur. *Hic erat in urbe illa pereuntium caput, & princeps Hæreticorum*. Erat huic nomen, ut ex eadem Epistola habetur, *Petrus Moranus*, cujus postea judicium, & pœnitentia describitur. Serius aliquanto, & missis in Narbonensem Provinciam Prædicatoribus, cum hi venissent ad Castrum, quoddam Carmanum, *invenerunt*, ait Petrus Vallicernensis (3), *quemdam Hæresiarcham Balduinum nomine, & Theodoricum quemdam filium perditionis, & stipulam incendii .... Iste de Gallia oriundus, erat quidem nobilis genere, & Canonicus fuerat Nivernensis. Postea vero cum quidam miles qui erat avunculus ipsius, & hæreticus pessimus in Parisiensi Concilio, coram Octaviano Cardinale, & Apost. Sedis Legato fuisset de hæresi condemnatus; videns iste, quod diutius latere non valeret, ad partes se transtulit Narbonenses, ubi ab Hæreticis in maximo amore ac veneratione est habitus, tum quia aliquantulum ceteris acutior videretur, tum quia gloriabatur, se habuisse de Francia, ubi esset fons scientiæ, & Religio-*

(1) Serm. 5. adv. Catharos (tom. 3. Bibl. PP. pag. 608. (2) Pag. 573. inter Angl. Script. Savil. (3) Cap. 3.

*ligionis Christianæ, suæ iniquitatis socium, suæ nequitiæ defensorem*. Preter hos *Bernardum de Cimona alium hæresiarcham maximum* memorat idem Petrus (1).

II. Sed nemo, cum de Albigensium propugnatoribus aut fautoribus agitur, recensendus est ante Comites Tolosanos, Quare Historiam suam aggressus Guillelmus a Podio S.Laurentii, Comitum Tolosæ progeniem omnem initio (2) explicat. Separatim vero & seorsum de iis egit Bernardus Guidonis (3), sive qui Albigensium ipsam Hæresis historiam, & vitam Innocentii atque Honorii executus est. Et Laurentius quidem orsus est a Raymundo, qui a. 1098. Antiochiæ, & a. 1099. Hierosolymæ expugnationi interfuit. Guido ante hunc nominat Ysauretum sive Ysaurectum, Bertrandum, Gulielmum, Raimundum I. de S. Ægidio, Gulielmum Talhaferri, Pontium, quem ait Comitem fuisse a. 1060. Aymericum. Brevior eorum historia sive Genealogia, quam ex veteri codice imaginibus eorum insignito Guillelmus Catelus edidit (4) his omnibus præponit Torsinum quem alii Chorsonem vocant; atque hunc ait a Carolo M. accepisse Comitatum. Verùm hac de re, & varias scriptorum sententias Catelus (5) explicavit, & diligentissime PP. Congregationis S.Mauri (6), ex quibus alii sua (7). Incidit vero hæc Hæresis in tempora Raimundi illius, qui Genealogiæ illius auctori Comes est XIV., Guidoni hoc Raymundi nomine IV., Catelus VI. numerat. Antea tamen Tolosæ hæresim grassatam, ex iis quæ modo dicebamus liquet; atque illi se Raimundus, Raimundi hujus quem diximus pater opposuit, & Cistercienses monachos ad eam suffocandam evocavit. In Gervasiii Chronico (8) hæc habentur; *Pullulaverat his diebus in Tolosani Comitis territorio hæresis maligna, quæ fidem, & Orthodoxorum Patrum Ecclesiastica instituta evacuans, non solum vulgus simplex, sed & Ecclesiæ Dei Sacerdotes, & Episcopos cum principibus laicis tabe confecit nefanda. Eujus hæresis detestanda perversitas in litteris Comitis Tolosæ facilius poterit agnosci, quas idem Comes generali capitulo misit Cisterciensi*. Subjicit deinde litteras ipsas, in quibus hæc præter cetera in earum fine; *Nunc igitur ad vestrum confugiens subsidium, humili, cordis imploro affectu, quatenus ad extipandum tantum infidelitatis malum, manum consilii vestri, & auxilii cum virtute orationis porrigatis. Scitote etenim, quia in tantum hæ-*

E 2 *resis*

(1) Cap.6. (2) Cap.5. (3) In App.Catel.Histoir.des Comt. de Tolos. (4) Ibid. (5) Ib. p.20. &c. (6) Hist. de Languedoc. tom.2. (7) V. Genealogie Histoir. tom. 4. lib.8. (8) Inter Scriptor. Tuysd. col.1446.

*resis virulenta inviscerata manet; quod nisi manu Dei valida, ejusque brachio extento extirpari non potest*. Additque; *Quoniam igitur spiritualis gladii virtutem nil perficere posse cognoscimus ad tantam hæresis pravitatem extirpandam, oportet ut corporalis gladii animadversione compellatur. Ad quod peragendum dominum Regem Francorum accersiri vestris ex partibus persuadeo, quia per ipsius præsentiam tanta mala finem suscipere suspicor. Ipsi quippe præsenti civitates aperiam, vicos & castella sub ejus censura tradam, hæreticos ostendam, & usque ad sanguinem in quocumque nostri indiguerit negotio, ad conterendos hostes, & omnes Christi inimicos illi assistam*. Hæc plane eximiam ejus in tuenda fide curam, & diligentiam declarant. Refert vero Gervasius ad a. 1177. Itaque his ea antecessisse videntur, quæ ex Hovedeno modo retulimus, de Concilio habito, Hæreticisque damnatis. Puto tamen illis hæc esse antiquiora. Utcumque; sit cum Raimundus hujus filius paternam Hæreditatem & Comitatum regendum suscepisset, *Quasi a primis incunabulis*, ait Petrus Vallicernensis (1), *semper hæreticos dilexit & fovit, & eos in terra sua habens, quibuscumque modis potuit honoravit, usque hodie etiam, sicut asseritur, ubicumque pergit, hæreticos sub communi habitu secum ducit, ut si ipsum mori contigerit, inter manus ipsorum moriatur*: fuse ibidem ejus mores vitamque describit. Hunc eum esse, qui Legatum Pontificium Petrum de Castronovo per satellites suos occiderit, qui armis ad hæreticos suos tuendos contra Catholicos abusus sit, qui simulatione usus cum ad Montilum a Pontificis Romani Legato reconciliationem obtinuisset, iterum arma in Catholicos verterit: quare terris suis & ditione spoliatus ad Franciæ Regem & Pontificem ipsum confugerit; denique a. 1222. subita morte interierit, ex eodem Petro & Guillemo, ceterisque historicis cognoscimus. Et Guilelmus quidem signa quædam pœnitentiæ dedisse significat (2); quæ tamen etsi a filio Romano Pontifici significata, ut constat ex diplomatibus quæ Catelus (3) adducit, tamen apud Pontificem, ut sepulturam obtineret, non valuerunt. Huic fratres fuisse duos Talhaferrum, & Balduinum Bernardus Guidonis narravit (4). Catelus in antiquis monumentis ejus se fratrem invenisse ait (5) Petrum Raimundum. Sed qui sæpius in Albigensium Historia nominatur est Balduinus, sive Baudonus, ut Gullielmus de Podio eum appellat (6) qui *natus*, ut idem ait, *in Francia & nutritus venit ad fratrem suum, moraturus cum eo: non tamen fuit*

ab eo

(1) Cap. 4. (2) Cap. 34. (3) Pag. 368. 369. &c. (4) In Comit. Tolos. pag. 38. ap. Catel. (5) Pag. 319. (6) Cap. 12.

*ab eo, sicut sperabat, cognitus, nec receptus*. Itaque necesse fuit, ut ab iis qui eum noverant, litteras auferret, *quibus eum filium dominæ Constantiæ matris prædicti Comitis & sororis Ludovici Regis Franciæ testibantur*. Ita Raimundus eum retinuit, *sed privato beneficio, & honore tamen guerræ, quam habebat in Provincia cum Principibus de Baucio, eum proposuit bellatorem*. Hunc Monte Ferrando amisso, dedisse se Comiti Montisfortis Simoni, & reconciliatum fuisse Ecclesiæ, tradit Petrus (1), atque ita laudat; *reconciliatus est Comes Balduinus Ecclesiæ; de ministro Diaboli factus est minister Christi: fideliter quippe se habens toto nisu hostes fidei ab illo die & deinceps expugnavit*. Miserum tamen ejus casum, quo in proditorum manum cum venisset, fratris jussu necatus est a Comite Fuxi, filioque ejus, & Bernardo de Portellis, alibi refert (2); quod & Guillelmus de Podio facit (3). Habuit Raimundus filium cognominem: quare ipse Raimundus senior aut vetus a Bernardo Guidone (4), aliisque appellatur, quem genuerat ex Joanna sorore Ricardi Regis Angliæ a. 1197. apud Bellicadrum Diœcesis Arelatensis, ut testis est idem Bernardus (5) ex Gulielmo nimirum de Podio, qui annum tamen numerat 1196. (6). Raimundus hic *junior* (7) dictus, iisdem bellis cum patre implicitus, eo mortuo, etsi vi nonnulla ditionis suæ recuperasset paci consensit, atque Ecclesiæ reconciliatus & absolutus fuit, Cruce etiam suscepta ad transmarinam expeditionem a. 1228. mense Aprili; *eratque pietas, virum tantum videre, qui tanto tempore, tot & tantis nationibus potuerat restitisse, duci nudum in camisia & braccis & nudis pedibus ad altare*, ait Gulielmus (8) iisdemque verbis Bernardus (9): Similem ritum quo pater olim reconciliatus Ecclesiæ fuerat describit Petrus Vallicernensis (10); *Adductus est Comes nudus ante fores Ecclesiæ B. Ægidii, ibique coram Legato, Archiepiscopis & Episcopis, qui ad hoc convenerant plusquam* xx. *juravit super Corpus Christi, & Sanctorum Reliquias, quæ ante fores Ecclesiæ exposita cum magna veneratione & in multa copia a Prælatis tenebantur, quod mandatis S.R.E. in omnibus obediret. Mox Legatus stolam ad collum Comitis poni fecit, ipsumque Comitem per stolam accipiens absolutum cum verberibus in Ecclesiam introduxit*. Conditiones quibus id impetravit in Actis reperiuntur, quæ Catelus protulit (11): ex quibus etiam

(1) Cap. 54. (2) Cap. 75. (3) Cap. 23. (4) In Com. Tolos. p. 42. 43. &c. & in V. Honorii p. 568. (5) Pag. 39. (6) Cap. 5. (7) Ap. eumd. Guid. pag. 43. & in V. Innoc. III. p. 485. (8) Cap. 39. (9) Pag. 44. (10) Cap. 12. (11) Pag. 333. &c.

etiam constat (1) Parisiis in custodia esse voluisse, dùm ejus filia obses Galliæ Regis Legatis Carcassonæ traderetur. Cum, suis restitutus a.1244. *Curiam magnam*, quæ dicitur, Tolosæ tenuisset, atque a. 1245. Lugdunensi Concilio interfuisset, a.1249., annos agens 51. v. Kal.Octobr. mortuus est Emiliani (2) (etsi nominis cujusdam similitudine, sunt, qui Mediolani mortuum scripserint) relicta unica filia, quæ nupta est Alphonso fratri Ludovici IX. Galliæ regis; mortui vero sunt sine liberis a.1271. *ut videatur*, ait Bernardus Guidonis, *deleta tota illa linea & abrasa*. Nomen autem erat filiæ Comitis Tolosani *Joanna*. Eam natam a. 1221. scribit idem Bernardus (3), Guillelmus vero de Podio (4) a.1220. quæ quidem diversitas, nescio an ulla ratione excusari aut explicari possit. Etenim non modo Guillelmum, sed & Bernardum Guidonis veteri Gallorum more, ideft a Paschate vel ab Incarnatione putasse annos, observarunt diligentissimi Annalium O. P. Scriptores. Et, si quidem is est Auctor Vitæ Innocentii III. & Honorii, quæ apud Muratorium leguntur (5), illud profecto liquet. Nam ex. c. in Vita Innocentii A.MCCXII. prius res gestas narrat Junio mense, deinde mense Februario (6). Dicam tamen, quod observare viros eruditos non pigebit; quæ vitarum illarum titulo Muratorius exhibuit, edita fere omnia jam fuisse a Catel in Appendice ad Historiam suam Tolosatium Comitum alio titulo, *Præclara Francorum facinora, seu Chronicon ab A. D.* MCCII. *ad A. ejusd. D.* MCCCXI. *Incerto Auctore*: eadem rursus inveniri vulgata a Duchesnio titulo hoc alio (7); *Præclara Francorum facinora variaque ipsorum certamina pluribus in locis tam contra Orthodoxæ fidei quam ipsius Franciæ gentes non impigre* (id. impigre) *gesta ab A. D.* MCCI. *usque ad A.* MCCXI. *quæ vulgo Chronici Simonis Montisfortis nomine designatur, Auctore, ut quidam putant, Petro Lodovensis Ecclesiæ Episcopo*. Sed Bernardum ipsum, more illo veteri numerare annos, negare nolim. Et fieri tamen potuit ut paululum ab aliis dissideret. Non solum enim aliqui a Nativitate, sed alii a Paschate, alii ab Annuntiatione Virginis, sive Incarnatione Christi annos ducebant. Et nostros quidem, ideft Albigensium rerum Scriptores Guillelmum & Petrum, omnino existimo (quod in ambiguo alii reliquerunt) postremo hoc modo fecisse; atque hoc colligo ex Statutis hoc sæculo scriptis Ecclesiarum Cadurcensis, Ruthenensis, & Tutelen-

(1) V. pag.338. (2) V. Gulielm. de Pad. cap.47. & 48. (3) Comit. Tolos. pag.43. edit. Catel. (4) C.33. (5) Tom.3. Scriptor. Ital. (6) Ibid. pag. 482. (7) Tom. 5. Scriptor. Franc. pag.764.

telenſis apud Martene (1); *Nota quod numerus Lunaris & littera Dominicalis mutatur annuatim in feſto Circumciſionis: anni vero Incarnationis Domini mutantur in terra iſta in feſto Annuntiationis B. Mariæ; & in quibuſdam regionibus in feſto Nativitatis Domini*. Sunt autem ea ſtatuta edita, ut ibidem legitur (2), *A. D.*MCCLXXXIX. Ex regionibus, quas poſtremis verbis appellat, erat Delphinatus, ubi annos a Nativitate computatos fuiſſe, docet ejus Hiſtoriæ Scriptor Cl. de Valbonays. Quis autem dubitet Guillelmum his terris ortum, ſive educatum, quem de Podio S. Laurentii ideo dictum arbitror, gentis ſuæ morem fuiſſe ſecutum? idemque valet in Petro Vallicernenſi, quem pariter eum numerandi veterem modum tenuiſſe, ejus Hiſtoria (3) teſtis eſſet, vivebatque in his regionibus, ut de ſe ipſe prodit (4).

III. Præter Toloſanos Comites, qui Albigenſium Hæreſim præcipue foverunt nominantur in libello a Rege Aragonenſi propoſito Patribus Vaurenſis Concilii; quem libellum Petrus Vallicernenſis inſeruit Hiſtoriæ ſuæ (5). In illo ergo, poſtquam Rex pro Toloſano Comite egit, ſubjicit; *Et quoniam Comes Convenarum nec fuit unquam Hæreticus, nec eorum ſuſceptor, ſed potius impugnator, & ideo terram dicitur amiſiſſe, quod aſſiterit conſobrino & Domino ſuo Comiti Toloſano &c. Item Comes Fuxenſis, cum nec ſit, nec fuerit Hæreticus, pro eo memoratus Rex petit & rogat, ſicut pro conſanguineo ſuo cariſſimo &c. Item pro Gaſtone de Bearno Vaſſallo ſuo &c.* Ab Hæreſi omnes hi excuſantur; ſed Hæreſim maxime omnium tutatos fuiſſe ex Hiſtoricis conſtat, atque ex iis, quæ Concilii Patres reſponderunt, ſubjecitque idem Petrus. Horum nomina inveniuntur in Actis quibuſdam A. MCCXII. ſcriptis ob eam cauſam: cum ex illis Petrus Aragonum Rex exegiſſet, ut de eorum reconciliatione agere poſſet. Legitur vero in illis, quæ Catellus producit (6); *Nos Bernardus Comes Convenarum, & Bernardus filius ejus &c. Nos Raimundus Rogerii Dei gratia Comes Fuxenſis, & Rogerius Bernardi filius ejus &c. Ego Gaſto Dei gratia Vicecomes Bearnenſis & Comes Bigorræ &c.* Negotium faceſſit, quod hic exprimitur Comitis Fuxenſis nomen *Raimundus*, Nam Guillelmus de Podio (7), iiſdemque verbis Auctor Vitæ

(1) Tom. 4. Theſ. Anecd. col. 764.
(2) Col. 764. (3) Vid. cap. 68. & 70. Poſtquam enim res geſtas narravit menſe Februario a. 1212., referens ea quæ *in feſto S. Jo. Baptiſtæ* continuo facta fuerunt, annum ponit 1213. *Verbi Incarnati*. (4) Cap. 60.
(5) Cap. 66. (6) Pag. 276. 277.
(7) Cap. 34.

Vitæ Honorii, nomine Bernardi Guidonis (1); *Eodem quoque anno moritur Bernardus Rogerii Comes Fuxi in obsidione Castri Mirapicis; non vulnere, sed magno ulcere prægravatus*; subditque Bernardus Guidonis; *cui successit filius ejus Rogerius Bernardi*. Contra, Actis illis consentit Anonymus in Chronico apud eumdem Catelum (2) scribens ad hunc annum idest 1222. *Eodem anno obiit Raimundus Rogerii Comes Fuxi*. Et, si adjecta quidem nomina illa gignendi casu Patrem significarent, res esset expedita; cum filius, Rogerius Bernardi dicatur. Sed profecto videtur, res aliquando aliter se habuisse, nec Patrem semper sed virum aliquem maxime ex majoribus suis illustrem compellabant, quod in nobilissima familia, quæ Ursina deinde est appellata, adnotavit Muratorius (3): ab antiquiore enim Urso abnepotes etiam dicebantur *ex filiis Ursi*. Malim tamen Guillelmo credere & Bernardo Guidonis; vel puod ita frequentius omnino factum est, quod idem Muratorius (4), & Mabillonius (5) docuerunt, vel quod causa nulla apparet, quod pater *Raimundus Rogerii*, filius vero *Rogerius Bernardi* diceretur. Adnotandum tamen duco, varie aliquando efferri idem nomen. Itaque Vicecomes Biterrensis, qui a Petto Vallicernensi appellatur (6) *Raimundus Rogerii nomine*, a Bernardo Guidonis, sive Auctore vitæ quæ dicitur Innocentii (7), *Rotgerius*; *seu Raimundus Rogerii*; a Nangio (8) *Rogerus de Biterri*: quod, *Rogerum* cognomen fuisse significare videtur. Ceterum Vicecomes hic Rogerus, a Nangio *vir perfidus* nominatur, *per cujus nequitiam pestilens error creverat*, a Petro Vallicernensi (9) *nepos Comitis Tolosani, qui sectans avunculi pravitatem in nullo Hæreticos comprimebat*: multo vero gravius Comes Fuxi (10) accusatur ab eodem, diciturque *pessimus traditor, crudelissimus persecutor Ecclesiæ, Christi hostis*; atque alibi (11) necem Cistercienfium Monachorum per Gulielmum de Rupeforti factam illi tribuit; injecisse etiam manus in Clericos eosdemque in cacerem detrusisse; cædibus grassatum esse in Crucesignatos, eidem objicitur a PP. Vaurensibus. Filius Rogerius patri *non impar malitia* (12) a Petro vocatur, narraturque Crucesignatos multos per insidias occidisse (13). Comes Convenarum Bernardus nominatur étiam a Bernardo Guidonis, ubi ejus obitum describit (14) *Anno Domini 1225. Mense Februarii obiit Bernardus Comes Convenarum maritus Dominæ Mariæ de Monte-Pe-*

(1) Pag.569. (2) Pag.161. (3) Differt.42. tom.3. antiqu. med. æv. (4) Ibid. (5) De re Diplom. lib.2. cap.7. (6) Cap.15. (7) Pag.481. (8) Ad a.1209. & 1224. (9) L.all. (10) Cap.6. (11) Cap.30. (12) Cap.56. (13) Cap.50. (14) Pag.569.

*te-Pesulano quæ postmodum fuit mater Regis Aragonum Domini Jacobi, fuitque sepultus Comes ad Montem Salves*. Huic maxime imputatur a Vaurensi Concilio, quod Comitem ipsum Tolosanum impulerit ad bellum contra Ecclesiam suscipiendum; *unde*, ait, *idem Comes actor per hoc guerræ & malorum, quæ Ecclesiæ multipliciter provenerunt, extitit*. Gasto de Bearno dicitur a Petro (1) *homo pessimus, qui semper adhæserat Comiti Trolosano*: objicitur vero a Vaurensibus PP. *venit in auxilium Tolosanorum ad obsidionem Castri novi; interfectorem Fr. P. de Castronovo Apostolicæ sedis Legati habet secum: ruptarios diu tenuit atque tenet*. Alii præter hos Albigensium fautores præcipui nominantur simulque junguntur a Petro Capite XXXVI. *Tempore illo Petrus Rogerii dominus Cabareti, & Raimundus Termarum, & Aimericus Dominus Montis regalis, & alii milites, qui Ecclesiæ & Comiti resistebant, mandaverunt Regi Aragonensi, qui erat in partibus illis, ut veniret ad eos, & constituentes illum dominum suum, traderent ei totam terram*. Primus ita ab eodem alibi describitur (2) *Petrus Rogerii inveteratus dierum malorum hæreticus erat & hostis Ecclesiæ manifestus*. Postea a. 1210. ut Bernardus Guidonis narrat in vita Innocentii (3); *Petrus Rotgerii qui erat Dominus Cabareti, quod est castrum fortissimum in Carcasesio, timore ductus composuit cum Comite Simone, Castrumque Cabareti sibi reddidit, & Comes dedit ei terram aliam competentem*. Hoc & Petrus Vallicernensis (4). De altero hæc idem Petrus (5) ubi Castrum Termarum describit; *Castri si quidem bujus dominus erat miles quidam nomine Raimundus senex, versus in reprobum sensum, & manifestus hæreticus; ut summatim ejus malitiam exprimamus nec Deum timebat, nec homines verebatur*. Narrat deinde (6), cum Divina ope castrum expugnatum esset, Raimundum hunc a Carnotensi quodam vili abjectoque homine comprehensum, traditumque Comiti Montisfortis; qui eum *in fundo turris Carcassonensis retrudi fecit, ubi per plures annos dignas pro meritis pœnas & miserias sustinuit*. De Aimerico pariter, qui ab eo dicitur *miles, quo in tota terra illa post Comites potentior sibi nobilior nullus erat*, refert, primò Simoni Comiti adhæsisse, deinde ab eo defecisse. Finis ejus ita a Bernardo describitur (8) *A. 1211.... Simon Montisfortis Aymericum magnatem nobilem* Dominum *Montis Regalis & Lauriati, qui castrum susceperat defendendum, cum quibusdam nobilibus suspendio elevavit, ceterosque generosos plusquam*



(1) Cap. 63. pag. 619. (2) Cap. 26. (3) Cap. 48. (4) Pag. 482. (5) Cap. 40. (6) Cap. 42. pag. 591. (7) Cap. 32. (8) In V. Innocen. pag. 482.

*quam 80. gladio consumavit. Geraldam vero dominam dicti castri sororemque dicti Aymerici haereticam projectam in puteum fecit lapidibus cumulari*. Hæc item Petrus Vallicernensis (1). De Rege Aragonensi iidem multa; interfuisse colloquio Narbonæ instituto cum Sedis Apostolicæ Legatis (2), ad eum confugisse Raimundum ut auxilia impetraret (3), Tolosam venisse & cum Simone Montisfortis & Apostolicæ Sedis Legato collocutum, atque eas petitiones, de quibus diximus, Patribus Vauri congregatis proposuisse (4), Comiti etiam Montisfortis indixisse bellum (5), qui tamen in Murelli campo celeberrimam victoriam retulit (6) Rege ipso interfecto. De hujus vero matrimonio inito cum Maria filia Guillelmi de Monte Pessulano, ex qua Jacobum, ipsum quoque Regem Aragonum suscepit, in Albigensium Historia Guillelmus (7). Addere his quamplures possumus, apud eosdem Scriptores, & in Albigensium historia celebres Guillelmum de Rupeforti, quem superius etiam nominavimus; vocatur autem a Vallicernensi (8) *crudelissimus, unusque de pejoribus pro posse suo Ecclesiæ inimicis*, & alibi (9) *immanissimus hostis Christi, ferocissimus persecutor*, qui cum Cistercienses Monachos interfecisset *sortitus est suæ crudelitatis mercedem... non multo post vulnera recipiens infinita. In ipsa porta Tolosæ a Christi militibus digno pro merito est occisus*; Savaricum de Malleone (10), *Apostatarum præcipuus &c.* qui ab eodem appellatur [Nangio ad a.1203. Savaricus de Malo-leone]; Folcaudum de Belgeno, qui a Guillelmo de Podio dicitur (11) *vir crudelissimus & superbus qui statutum, ut dicebatur, apud se fecerat, ut omnis homo captus de guerra nisi daret centum solidos moreretur*; Joannem ejus fratrem &c. Postremo loco nominandi sunt Archiepiscopus Auxitanus, & Raimundus de Rebastenchs, *qui quondam*, ait Petrus Vallicernensis (12), *fuerat Tolosanus Episcopus, sed meritis suis exigentibus erat depositus*. Hi missi Romam fuerant a Comite Tolosano, cum illò ad Innocentium Papam venissent Fulco Tolosanus, & Navarrus Conforanensis Episcopi, *supplicaturi*, inquit idem Petrus, *Domino Papæ, ut periclitanti in Narbonensi Provincia & Bituricensi, & Burdegalensi, pro pace Ecclesiæ, ut quasi penitus naufraganti manum porrigat adjutricem*. Auxitanus sive Ausciensis, erat Bernardus, adversum quem Innocentius III. sæpius scripsit. Ab hoc diversus Auxitanus ille Archiepiscopus qui inter

(1) Cap.52. (2) Petrus cap.43. (3) Cap.64. (4) Cap.66. (5) Cap.67. (6) Cap.72. & Guillelm. de Podio cap. 22. Bernardus Guid. in V. Innoc. pag. 483. (7) Cap.16. (8) Cap.42. (9) Cap.30. (10) Cap.57. (11) Cap.33. (12) Cap.9

ter Crucesignatos recensetur a Bernardo Guidonis in Vita Honorii ad a.1227. cum Bituricensi & Burdigalensi.

IV. Sed veniendum aliquando est ad ipsos Albigensium expugnatores. Adversus eos, quos modo nominavimus, Comitem Tolosanum ejusque asseclas, & Albigenses excitati sunt Christiani omnes. *Summus* autem Pontifex, ait Vallicernensis (1), *ut ad extirpandam pestem hæreticam fideles populos efficeret promptiores, generales miserat litteras ad omnes Prælatos, Comites, & Barones, & universum populum in Regno Franciæ constitutum, monens efficaciter, & exhortans, ut festinarent ad vindicandam in Narbonensi Provincia injuriam Crucifixi, scientes, remissionem omnium peccaminum a Deo, ejusque Vicario universis indultam, qui Orthodoxæ fidei zelo succensi ad opus se accingerent hujus pietatis, dummodo contriti essent pariter & confessi*. Eos qui Lugduni convenerunt inter alios principes postea nominat (2); *Inter eos autem qui ibi affuerunt isti præcipui habebantur Archiepiscopus Senonensis, Episcopus Eduensis, Episcopus Claromontensis, Episcopus Nivernensis, Dux Burgundiæ Odo, Comes Nivernensis, Comes S. Pauli, Comes Montisfortis, Comes de Barro supra Secanam, Guichardus de bello joco, Vuilhelmus de Rupibus, Senescallus Andegaviæ, Gualchenus de Jovinjaco, Guido de Levis, Lambertus de Tureyo*. Tempus vero, quo apud Lugdunum convenerunt adnotat A.D. 1206. *circa festum S. Jo. Baptistæ*. Senonensis Archiepiscopus Petrus erat *de Corbeis*. *Magister Petrus de Corbolio* a Gulielmo de Nangis (3) appellatur, ubi ejus obitum consignat a.1222; & a. 1199. *Petrus de Corbolio quondam Innocentii Papæ didascalus*. A.1200. fuerat ad hanc Ecclesiam e Cameracensi Cathedra translatus. Æduensis Episcopus Galtherus hoc nomine II. erat, cui & Innocentii III. extat epistola de Abbatia Eduensi reformanda (4). Claromontensis erat Robertus d'Avvergne, de quo Albericus in Chronico (5); *Apud Claromontem in Alvernia post Episcopum Pontium præfuit Episcopus Sigebertus, & post eum dictus est Episcopus Robertus frater Guillelmi, & Guidonis Comitum Alverniæ, filius Comitis Roberti de sorore Ducis Burgundiæ, de genere Comitum Campaniæ*. De eo in Epistolis Innocentii sæpius mentio: fuere enim ei maximæ cum fratre Guidone discordiæ. Ab eodem Petro (6) nomine suo compellatur, cum describitur obsidio Montis Grenarii: *Interea Comes nobilis Montisfortis castra quæ apostataverant ipso*



(1) Cap.10. (2) Cap.14.
(3) In Chron. (tom.XI. Spicil. Dacher. vet. edit. pag.512.
(4) Lib.1. (5) Pag. 418.
(6) Cap.84.

*ipso anno in diœcesi Nemausensi fortiter impugnabat. Venerant autem in ejus auxilium Girardus Bituricensis Archiepiscopus & Robertus Clarimontensis Episcopus viri potentes, qui anno præcedenti crucem assumpserant contra turbatores pacis, & fidei subversores.* Annum præcedentem nominat 1215. Nec tamen, ut ex dictis constat, tunc primum crucem sumpserunt; sæpius enim idem faciebant. Nam ut Ecclesiasticam Indulgentiam adipiscerentur satis erat ut quadraginta dies in exercitu morarentur. Hoc idem Petrus sæpius significat; *Archiepiscopus*, inquit (1) *Rothomagensis & electus Laudunensis, & ceteri qui cum eis erant expleta quadragena sua recedere volebant: singulis etiam diebus completa quadragena sua recedebant Peregrini*. Paulo superius; *Peregrini siquidem qui erant cum eo peracta quadragena sua in exercitu, volebant fere omnes ad propria remeare*. Peregrinos hic atque alibi sæpissime ipsos Crucesignatos qui ex alienis terris advenerant, intelligit: quare ibidem (2) *cum præ paucitate peregrinorum non possemus castrum undique obsidere .... crescente igitur peregrinorum multitudine occupaverunt dictum montem, venientibusque paulatim peregrinis castrum fere undique obsederunt*; & alibi (3) *milites peregrini* dicuntur. Quadragena hac expleta, recedere nunc quoque voluisse Claromontensem Episcopum una cum Archiepiscopo Bituricensi, idem narrat; *Circa idem tempus Archiepiscopus Bituricensis, & Episcopus Claromontensis peracto suæ peregrinationis termino, videlicet quadraginta dierum, ad propria remearunt*. Juvit hæc adnotare, quod horum nominum congestores, & Lexicographos hoc præteriisse videtur. Episcopum Nivernensem Gulielmum de S. Lazaro multi ob vitæ innocentiam laudant (4). De Duce Burgundia, & Comite Nivernensi meminit sæpius idem Petrus; præcipue cum Comes Montisfortis electus est, qui urbibus expugnatis præficeretur; *Consilium habuerunt Barones ad invicem*, ait Petrus (5), *quem deberent præficere terræ prædictæ. Et primo quidem oblatum fuit terræ dominium Comiti Nivernensi, postea Duci Burgundiæ; sed accipere noluerunt*. Comes tamen Nivernensis, Simone electo, ab expeditione discessit, uti idem habet (6). *Postquam electus fuit Comes; statim Abbas Cisterciensis, & ipse* Ducem

(1) C p.63. p.618. (2) Pag.620. (3) Cap.64. *Interea Carcassonensis Episcopus, qui cum quibusdam peregrinis in Castro Murelli remanserat, circa munitionem Castri ipsius assidue laborabat. Peractis Comes noster in Wasconia negotiis pro quibus perrexerat, rediit Murellum non enim habebat milites peregrinos, nisi Comitem Tullensem, & quosdam alios milites paucissimos*. (4) Nangius, Bellovacensis &c. (5) Cap.17. (6) Cap.20,

*Ducem Burgundiæ adeunt & Comitem Nivernensem orantes & deprecantes, ut in servitio J. C. dignarentur adhuc aliquantulum commorari .... Dux autem Burgundiæ, utpote benignissimus, benigne deprecantibus acquievit .... Comes autem Nivernensis nullo modo voluit deprecantibus obaudire, sed statim ad propria remeavit: non enim bene conveniebant Dux & Comes ille*. Maximam partem exercitus cum Comite Nivernensi recessisse, idem addit (2). Aliorum sæpius postea idem Petrus, atque alii meminere. Vix tamen occurret, qui inter illos recensebatur, Comes S. Pauli. Guidonem eum esse puto, de quo Auctor *de Gestis Ludovici VIII.* narrans hunc, atque omnes Crucesignatos an. 1226. Avenionem *Urbem fortissimam, & quasi inexpugnabilem, ab Ecclesia Romana per* VII. *annos excommunicationi subjectam propter hæreticam pravitatem* obsedisse, subdit; *moritur ibidem Guido Comes S. Pauli percussus lapide petraria, vir armis strenuus, catholicus, & honestus* (2). Magna erat fama Comiti de Barro; itaque cum de ejus adventu nuncius allatus esset Simoni Comiti, *gavisus est gaudio magno valde; magna enim dicebantur de Comite illo* (3). Et obsidioni quidem Tolosæ, cum primò facta est, interfuit, ut ibidem testatur: *fuit in obsidione illa Comes de Barro, & plures nobiles viri de Alemannia*, quod item testatur Bernardus Guidonis in V. Innocentii ad an. 1211. *Erat autem in exercitu ejus Comes Barrensis, & multi nobiles de Alamannia*. Atque his quidem locis indicatur ex Alemannia eum venisse; Idem Petrus, cum postea Comes militiæ hujus pertæsus recessit, refert (4); *Tunc rogavit Comes nobilis Comitem de Barrio, & nobiles de Alemannia, ut irent cum eo, qui omnes concesserunt & se ituros promiserunt. Ire igitur cœperunt, sed, cum venirent prope Castrum novum, Comes de Barro a promissione, quam Comiti fecerat, resilivit .... mox quæsivit nobilis Comes ab Alemannis si vellent ire cum eo; qui promiserunt, libentissime se ituros*. Itaque nihil fere expeditioni huic commodavit. Sed quid illud *supra Secanam?* A Sequana fl. est? An id adjungitur, ut alius hic de Barro, & homo Gallus significetur? Nil horum mihi constat. Lamberti de Turejo nota est ex eodem Petro historia, quam eo pariter loco narrat; cum Galtero scilicet de Langatone sive Langetona, ut apud Parisium ejus frater Episcopus Cantuariensis nominatur, a Comite Fuxensi captum, atque in teterrimum carcerem detrusum. Guidonem de Levis Mare-

(1) Cap. 21. (2) Tom. 5. Script. Duchesn. pag. 288. (3) Petrus c. 55. (4) Ibid. pag. 602.

Marescallum Comitis Montisfortis *virum fidelem & armis strenuum*, Petrus pariter (1) alibi vocat. Guichardus de bello-joco *Imberus de Bello-joco* a Bernardo Guidonis in Vita Gregorii IX. (2) appellatur, & in Vita Innocentii (3), ubi etiam laudatur *vir bellicosus & labori dispositus*. Alibi ejusdem expeditionis socii nominantur (4) Carnotensis Episcopus, Belluacensis Episcopus Philippus, Comes Robertus de Drocis, Comes Pontivi, *habentes secum peregrinorum multitudinem copiosam*: parum tamen per eos Christiana res profecit. Laudatur tamen ibidem, *Vir Venerabilis Guillelmus Archidiaconus Parisiensis qui zelo fidei Christianæ succensus, totum se pro Christi servitio laboriosis sollicitudinibus exponebat*: atque additur; *Prædicabat quotidie, instituebat, collectas in sumptum machinarum, cæteraque hujus necessariæ sedulitatis officia providus exercebat. Ibat sæpissime ad nemus ducens secum multitudinem peregrinorum, & ligna ad usus petrariarum deferri copiosissime faciebat*. Hunc alibi laudat (5); eique jungit Episcopum Carcassonensem, & Archiepiscopum Remensem; *Viri autem venerabiles, & hujus negotii rectores & magistri, scilicet Episcopus Carcassonensis, & Guillielmus Archidiaconus Parisiensis in his, quæ obsidioni erant necessaria, instantissime laborabant: Archiepiscopus etiam Remensis qui ibi erat verbum prædicationis, & exhortationis sæpissime & libentissime peregrinis ministrans, & in his quæ opus erant obsidioni, se humiliter exponens, & sua liberalitate expendens, valde erat necessarius negotio Jesu Christi*. Obsidebant nimirum Castrum Mosayci: qua quidem in obsidione Archiepiscopi Remensis nepotem cum comprehendissent Albigenses, occisi membra ad eos, qui in obsidione erant, projecerunt; idque cum Archiepiscopus vidisset, tanta constantia pertulit, ut eximium ejus fortitudinis exemplum omnes mirarentur. Erat hic Albericus de Humbert ex Archidiaconatu Parisiensi ad eam Sedem vocatus an. 1207., ut Albericus ad h. a. narrat; tenuitque ad an. 1218.. Episcopus Carcassonensis, qui nominatus fuerat, est Guido Abbas olim Vallium Sarnaii, quem sæpe Petrus Monachus ejusdem Monasterii laudat (6) seque ejus nepotem vocat: narrat id præsertim cum de Albia civitate loquitur (7); *Electus autem Carcassonensium erat in civitate illa, & ego cum eo; me enim adduxerat secum de Francia, ob solatium suum, in terra aliena peregrinus, cum essem Monachus, & nepos ipsius*. His eodem

(1) Cap.56. (2) Cap.41.
(3) Pag.571. (4) Pag.570.
(5) Cap.63. pag.620.
(6) Cap.28. cap.60. 62. 63.
(7) Cap.60.

eodem quem supra adduximus loco adjungit Uticensem & Tolosanum Episcopos. Tolosanus, Fulco erat, Abbas olim Grandis Silvæ, atque ad hanc Sedem e Massiliensi translatus, ut præsertim Gulielmus de Podio narrat (1), pulso Raimundo de Rabastens: non enim inducendum esse Bernardum quemdam, quem *lib*.8. *Philippidos* inducit Gulielmus Aremoricus, ab aliis animadversum est. Uticensis sive Uceticensis Episcopus (*de Vcetia* enim se Episcopum nominat Probatius in C. Agathensi an.506.& *Civitatis Vcetiæ* Firminus in Aurelianensi IV. an.541. alibi etiam *Castrum Vcecienſe* invenitur) erat Raimundus hujus nominis IV. ex Canonico Magalonensi evectus ad eam Sedem a. 1212. Alios nominatos invenies eodem loco Archiepiscopum Rotomagensem Robertum, & electum Laudunensem Robertum, & Ingerrannum de Bova. Manassem Aurelianensem, & Gulielmum Antissiodorensem Episcopos præcipue memorat Petrus, qui, *viri*, ait, *per omnia laudabiles & constantes, duo magna, imo præcipua tunc temporis Gallicanæ Ecclesiæ lumina, fratres insuper secundum carnem germani, crucem assumpserant contra hæreticos..... collectis secum militibus quotquot potuerunt, miro fervore spiritus, & virtute iter arripuerunt contra hæreticos, parati non solum sua expendere, sed & se ipsos, si oportuerit, periculis & morti exponere pro servitio Jesu Christi*: Item Episcopum Parisiensem Ingerranum de Cociaco, Robertum de Tornaco, Ivellum de Meduana (2). Sed infinitum esset recensere omnes. Albericus hos nominat (3) ad an. 1209. *Crucesignati contra Albigenses proficiscuntur per turmas suas ad visitandum terram provincialem Albigensium, ad extirpandum hæreses varias, quæ in partibus illis pullulaverant, & fidem catholicam pro posse suo confundebant & enervabant. Fuerunt autem hi, qui in pectore erant signati cruce; Albericus Remensis, Petrus Senonensis, Robertus Rotomagensis, Archiepiscopi: Galterus Eduensis, Renaldus Carnotensis, Robertus Bajocensis, Jordanus Lexoviensis Episcopi, Episcopus Lemovicensis, & plures alii Episcopi & personæ Ecclesiasticæ; Odo Burgundiæ Dux, Hervejus Comes Nivernensis, & multi alii Barones, & milites, & populi infiniti*.

V. Sed nullo modo, qui expeditionis Dux, atque imperator fuit, prætereundus est, Simon Comes Montisfortis. Et eum quidem superiùs innuimus, expugnatis Biterrensi, & Carcassonensi urbibus, electum esse, qui in eas, quæ Tolosani Comitis fue-

(1) Cap.7. (2) Cap.69. (3) Pag.450. ex recens. Leibn.

fuerant, dominaretur. Fuſe id narrant Cæſarius (1), Petrus Vallicernenſis (2), & Gulielmus de Podio (3), atque ex his Bernardus (4). Omnes vero mire eumdem laudant, Petrus præſertim, hæc de eo inter cætera ſcribens (5), *Licèt aliqui poſſent reperiri, qui in aliqua ei gratia æquipollerent, audacter dico, vix aut nunquam reperietur, in quo tanta ſimul donorum, tam naturalium, quam gratuitorum confluxerit plenitudo.* Laudatum ab ejus ipſo inimico Comite Toloſano, narrat Guillelmus (6). Eumdem ſacram Palæſtinæ expeditionem ſuſcepiſſe, tradit deinde Petrus. Poſtquam multa proſpere feliciterque geſſit, cum Toloſam urbem iterum obſideret, *dum ſtaret Comes fortiſſimus cum ſuis ante machinas ſuas, ne hoſtes denuo exirent ad ſæpedictas machinas diruendas, ecce lapis mangonello adverſariorum projectus percuſſit in capite militem J. C. qui ictu lethali recepto, pectus ſuum bis percutiens, Deoque & B. Virgini ſe commendans, mortem imitatus B. Stephani & ipſius lapidatus in urbe, cum ipſo in Domino obdormivit.* Hæc Petrus (7) S. Stephani urbem Toloſam vocat, quod Martyri illi princeps ſit templum dedicatum. Antea in fluvium delapſum divinitus ſervatum narraverat (8). Amalricus *ſucceſſor ejus & hæres, ipſius filius* (9), a Petro (10) dicitur *juvenis bonus & ſtrenuus imitator per omnia bonitatis & ſtrenuitatis paternæ.* Non fuit tamen patri felicitate aut gloria par. *Itaque videns incolarum terræ inconſtantiam, & quod de die in diem in contrarium abirent, terram illuſtri Regi Franciæ Ludovico reſignavit, & in jure ſuo fecit totaliter ſucceſſorem.... quam idem Rex tamquam Deo devotus, atque magnanimus acceptavit, collato Conſtabulatus officio in Francia Comiti Amalrico, quod noverat providum, atque ſtrenuum & expertum in exercitio militari*; ut Guillelmus (11), ejuſque verbis Bernardus Guidonis ſcribit (12) ad annum referens 1224. Alter erat Simonis Montisfortis filius Guido, cui *dederat uxorem Comitiſſam Bigorræ, ut latera Comitatus a parte Vaſconiæ roboraret,* quemadmodum Gulielmus (13) narrat. Simoni tamen non diu ſuperſtes fuiſſe videtur; nam continuò poſt illius mortem refert idem Guillelmus (14), *factum eſt una die, quodam inſultu cecidit Guido Comes Bigorræ frater Comitis Almarici, & confectus vulneribus expiravit, cujus cor-*

(1) Diſt.5. c.21. (2) C.17.18.&c. (3) Cap.14. (4) In Comit. p.39. & in V. Innoc. pag.481. (5) Cap.18. (6) Cap.30. (7) Cap.86. (8) Cap.85. (9) Guillelm. c.31. (10) Cap.86. (11) Cap.34. (12) In V. Honorii pag.56. (13) Pag.26. (14) In V. Honorii pag.568.

*corpus decenter curatum, in tabulato purpura cooperto remittitur fratri suo*: quæ more suo descripsit Bernardus (1), ad annum tamen referens 1218. qui est Simonis obitum consecutus. Lapsus memoria videri potest Petrus, cum Guidonem, Comitis Simonis fratrem appellat (2), *Comes cum suis militibus obsedit castrum a parte Occidentis ... Guido vero frater ejus ab alia parte, scilicet ab Oriente fixit tentoria*. Verùm alius hic est; & Guidonis quem diximus avunculus, qui nimirum, ut habet idem Petrus (3): *cum ipso* (Comite Simone) *ierat ultra mare, sed redeunte Comite, remansit iste Guido in partibus transmarinis; quia duxerat ibi uxorem nobilissimam de regio semine, quæ erat domina Sidonis*. Ergo ad hunc diem in illis transmarinis regionibus cum fuisset, nunc primò memoratur. Inter omnes tamen qui militiæ ad Albigenses excindendos nomen dederunt præcipue commemorandus Ludovicus VIII. Galliæ Rex. *Anno D.* 1212., ait Bernardus Guidonis (4), *in mense Februarii Ludovicus primogenitus Regis Franciæ Philippi, mitissimus juvenis, & bonæ indolis adolescens signo crucis se consignavit contra hæreticos credentes, & defensores eorum Albigenses & Tolosanos, & ejus amore ac æmulatione plurimi milites ejusdem crucis vivificæ signum acceperunt, fuitque motionis dies Cruce-signatorum contra Hæreticos præfixus in octabis Paschæ. Sed propter guerras Regis Franciæ iterum suscitatas, oportuit ipsum Ludovicum & Crucesignatos ab executione ejus propositi triennio retardari*. Itaque eam expeditionem postea ipse narrat ad an. *1215*. Idem refert Petrus Vallicernensis (5). Nemini vero ignota est acerba Regis ejusdem mors. Nam Rupella capta, aliisque oppidis expugnatis, Avenione etiam accepto in deditionem (6), cum in Franciam reverteretur, apud Montem-Pancerium Alverniæ Castrum obiit an. 1226. *tempore autumnali, cujus erat propositum reverti ad terras istas, vere, si viveret, subsequenti*, ut ait Gulielmus (7). Addam his Leopoldum Ducem Austriæ, & cæteros, quos Cæsarius memorat. Quod si Gallis insistimus non prætereundus videtur Robertus Malusvicinus, qui a Petro laudatur, *miles Christi nobilissimus, vir miræ probitatis, perfectæ scientiæ, incomparabilis bonitatis, qui a multis annis Christi servitiis exposuerat se & sua, & præcipue negotium istud ardentissime, & efficacissime promovebat. Hic est enim ille, per quem post Deum præ ceteris reviguit Christi militia*.

 VI. Le-

(1) Cap.63. pag.618. (2) C.60. a Pod. cap.32.35. &c. (6) Cap.36.
(3) In V. Innocent. pag.482. (7) Cap.29.
(4) Cap.68. & 82. (5) V. Gulielm.

VI. Legati Romani Pontificis Albigensium causa missi hi ab Historicis commemorantur. Primò, ut Petrus initio historiæ suæ habet, *Monachi duo Cistercienses zelo fidei succensi, F. Petrus videlicet de Castronovo, & F. Radulphus auctoritate Summi Pontificis, contra pestem infidelitatis instituti Legati*. Iisdem (1) postea jungit *venerabilem virum Arnaldum Abbatem Cisterciensem*. Cæsarius (2), ubi Cruce-signatos aliquot nominavit; *horum omnium*, inquit, *prædicator, & caput erat Arnoldus Abbas Cisterciensis, postea Archiepiscopus Narbonensis*. Brevi tamen priores illi duo mortui; mortuus est Radulphus *in quadam Abbatia Ordinis Cisterciensis prope S. Ægidium, quæ dicitur Francia Vallis* (3); Petrus vero de Castro novo crudelissime est a satellitibus Comitis Tolosani occisus, ut Innocentius III. scribit in litteris, quas idem Petrus recitat (4). In his hæc leguntur; *Speramus .... quod præfati hominis Dei mors venerabili fratri nostro Conforanensi Episcopo & dilecto filio A. Abbati Cisterciensi Apostolicæ Sedis Legatis ... non solum timorem non incutiet &c.* Littera A. Arnoldum significari, non dubito; quem diximus Sedis esse Apostolicæ Legatum. Sed illi addendus Episcopus Consoranensis, sive Conseranensis Navarrus Dacqs, quem Legatum fuisse Sanmarthani docent. Ex eodem Petro (5), *misit Dominus Papa, unum de Collateralibus suis Clericis Milonem nomine, virum utique vita honestum, scientia præclarum, facundia disertum. Missus est autem*, ut apud eumdem (6) sequitur, *cum dicto M. Milone clericus quidam Magister Theodisius nomine, Canonicus Januensis, qui sæpedicto M. Miloni assisteret, & ipsum in expediendo fidei negotio adjuvaret*. Additur; *Iste Theodisius vir multæ scientiæ, vir constantiæ mirabilis, vir eximiæ bonitatis, qui bene se habuit in negotio Jesu Christi*. Milonis hujus Acta extant inter Innocentii III. litteras, magno nostræ historiæ bono (7). Cisterciensis tamen Abbas Legatus, adhuc memoratur cum Comes Monsfortis militiæ princeps electus est (8); Theodisius vero, cum Comiti Raimundo Roma, quò profectus fuerat, redeunti purgatio indicta est criminum duorum, hæreseos, & necis Petro de Castronovo Pontificis Legato oblatæ. Missas tamen de eo litteras a Pontifice Episcopo Regiensi in Provincia, & M. Theodisio, ibidem Petrus (9) refert: uterque etiam nominatur, cum obsidio Minerbæ habebatur (10) cumque purgatio est indicta (11). Arnoldi postea jam Narbonensis Episcopi legationis sæpius

(1) Cap. 3. (2) L. all. a. ex recens. Baluzii pag. 365.
(3) Petr. cap. 6. (4) Cap. 8. (5) Cap. 9. (6) Cap. 10. (7) Tom.
(8) Petr. cap. 17. (9) Cap. 33. (10) Petr. cap. 37. (11) Cap. 39.

sæpius (1) mentio fit, præsertim cum Rex Aragonum postulata illa pro Comite Tolosano & Fuxi aliisque Albigensium fautoribus proposuit. Post hunc *Magister Petrus Beneventanus Cardinalis Apostolicæ Sedis Legatus missus a D. Papa*; occurrit apud Petrum (2) & Guillelmum. Eumdem postea (3) memorat Petrus; vocaturque Petrus S.Mariæ in Aquiro Diaconus Cardinalis in litteris Innocentii, quas ibidem recitat. Petrus hic est in Gallica Historia celebris, vocatur vero a Vallicernensi *Legatus sapiens, & discretus*: Comites enim Fuxensem, & Convenarum aliosque reconciliavit (4) *recipiens ab eis non solum juratoriam cautionem standi mandato Ecclesiæ, sed etiam quædam castra fortissima; quæ adhuc remanserant hostibus*. Anno 1214. Concilium habuisse apud Montempessulanum, Petrus (5), Bernardus Guidonis (6) aliique testes sunt. Anno superiore, ut apud eumdem Petrum legitur (7) *misit Dominus Papa Legatum suum in Francia Magistrum Robertum de Corceone, Anglicum natione, cum multis paribus litterarum, & indulgentiarum, ut solicite prædicaret, & prædicari faceret pro succursu terræ Hierosolymitanæ*. Additque, in eo ipsum vehementer institisse; sed *Prædicatores quoque illos, qui laborabant pro negotio fidei contra Hæreticos sæpedictos, eidem negotio abstulit, & fecit eos pro terræ sanctæ negotio prædicare; & ita, quantum ad humanum judicium, quasi in abolitionem venit negotii fidei contra Hæreticos pestilentes*. Nihilominus id etiam promovisse constat; *fuit enim in obsidione Cassanolii*, ut idem habet (8), *& laborabat prout poterat, utpote homo bonæ voluntatis ad expugnationem Castri*. Cum tamen id inter præcipuas saltem muneris illi crediti partes non esset, ut hic atque alibi (9) innuitur, vix videtur inter Legatos hos nostros numerandus, etsi aliter Raynaldus decernat. A. 1217. Legatum fuisse Bertrandum Cardinalem ab Honorio III, missum Bernardus Guidonis (10) testatur; atque adfuisse cum Tolosa obsideretur. Hunc quoque memorat Petrus (11), & Guillelmus (12). Aliò enim Robertus amandatus fuerat, comes scilicet Cruce-signatorum, qui in Orientem proficiscebantur. Atque illis, cum Legatus is ab Honorio postulatus esset, respondet Honorius, se Legatum misisse Pelagium; hunc vero cum eloquentia valeret mittere ad Dei verbum ipsis ministrandum (13).

 Car-

(1) V. Petr. cap.66. cap.73.
(2) Cap.77. (3) Cap.82.
(4) V. Petr. Cap.77.
(5) Cap.81. (6) In V. Innocen. pag.484. (7) Cap.70. (8) Cap.79.
(9) Cap.78. (10) In V. Honorii pag.568. & 569. & in Comit. Tolos. pag.42. (11) Cap.77. (12) C.30.
(13) Honor. l.3. ep.1.

Cardinalem tit. S. Stephani in Monte Cœlio fuisse, ex iisdem constat, eumque alii Curson, alii Curtonum vocant (1). Robertus de Corceone vocatur in C. Parisiensi a.1212. celebrato (2). Bertrandus, Cardinalis erat tit.S.Georgii in Velabro. *A.D.*1221. ait Bernardus Guidonis (3), *mittitur Legatus a Sede Apostolica ad partes Albigenses & Tolosanas Corradus Cisterciensis Ordinis Cardinalis Episcopus Portuensis*: ejusdem Legati meminit Cæsarius (4); Guillelmus quoque (5), narrat eum in subsidium Castri de Penna venisse. Non multo post, anno scilicet 1224. ut Bernardus significat (6), *missus est Legatus ad partes Albigenses & Tolosanas Dominus Romanus S. Angeli Diaconus Cardinalis*: ita in V. Honorii; idemque descriptis verbis Guillelmi de Podio (7) ita eum laudat; *vir magnæ discretionis acceptus Deo & hominibus atque sufficiens tantis negotiis pertractandis, qui cum Dei auxilio induxit Regem, ut servatum sibi negotium, imperactum sub aliis, ipse assumeret agendum*, Ludovicum scilicet VIII. Ludovico vero Legatum semper adstitisse iidem narrant. Ab eo missus est qui Albigensium res curaret Abbas Grandis Silvæ. Sic enim Guillelmus (8), & ex eo Bernardus (9); *Interea venerabilis Abbas Grandissilvæ Dominus Helias Garini venit de Francia auctoritate Legati, pacem offerens Tolosanis*. Legatus vero ipse Concilium Tolosæ celebravit (10); *ne autem videretur Legatus, sicut erat vir circumspectus & providus, omittere aliqua de contingentibus, mandavit inquisitionem fieri contra suspectos de Hæretica pravitate*, ait Guillelmus (11); addens Legatum Romam revertisse, secum Acta omnia asportasse. *Anno D.* 1230. *procurante consilio Prælatorum, Venerabilis Pater Dominus Clarius Episcopus Carcassonæ accedens ad Sedem Apostolicam Legatum obtinuit mitti ad negotium pacis & Fidei prosequendum uirum magnæ probitatis & providentiæ Episcopum Tornacensem*; Sequitur apud Gullielmum (12) eumdem, ex quo sua, ut moris habet, Bernardus (13). Iidem hujus curam & solicitudinem narrant. Erat vero hic Walterus de Marvis, qui eam Sedem acceperat a. 1219. tenuitque ad a.1251. Verum ante ejus obitum, ut subdit Guillelmus (14) (quæ ad a.1234. refert Bernardus (15)). *Exonerato in illis diebus onere legationis Episcopo Tornacensi, subrogatur ei Legatus Venerabilis Pater D. Jo. Archiepiscopus Vien-*

(1) V. Ciaccon. tom.2. pag.36.
(2) Tom.6. p.2. Hard. col.1999.
(3) In V. Honorii pag.569.
(4) Cap.21. dist.5. (5) Cap.34.
(6) In V. Honorii III. pag.569.
(7) Cap.34. (8) Cap.39.
(9) V. Gregorii IX. pag.572.
(10) Guillelm. cap.40. (11) Ibid.
(12) Cap.41. (13) In V. Gregor. pag.573. (14) Cap.43. (15) Pag.574.

*Viennensis*, nimirum Joannes de Burnino, cujus laudes epitaphio ejus expressas Sammarthani retulere (1). Denique, ut ex Gulielmo (2), & Bernardo (3) habemus: *eodem Archiepiscopo Viennensi a Legationis officio remoto, mittitur Legatus de latere Summi Pontificis Episcopus Praenestinus in Romana Ecclesia Cardinalis*. Bernardus autem id ad a. 1237. referre videtur. Fuit ergo hic Jacobus de Pecoraria dictus, Monachus olim Cisterciensis & Monasterii SS. Vincentii & Anastasii ad aquas Salvias Abbas.

VII. Nunc de iis dicendum quibus prædicatio commissa. Legatos ipsos Petrum de Castronovo & Radulfum hoc etiam munere functos, ex Petro Vallicernensi constat (4), qui narrat *Suasum est Tolosanis sæpe, & multum, ut hæresim abjurarent, ut hæreticos relegarent*; atque his ut diximus Arnoldum etiam Abbatem Cistercienfem adjungit (5). De iisdem postea (6) Petro scilicet de Castronovo & F. Radulpho; *qui fuerant Prædicationis in terra prænotata Principes, & Magistri*. Cæsarius; *Missi sunt*, inquit (7), *Abbates ordinis nostri cum quibusdam Episcopis, qui zizania rastro catbolicæ prædicationis eradicarent: sed obsistente homine inimico, qui hæc seminaverat modicum profecerunt ibi*. Hic tamen credo conjungi quæ ad posteriora tempora pertinent. Quin etiam, an continuò Abbates hi venerint, & quo anno venerint, aut etiam semel an bis, ad fidem Catholicam concionibus tuendam restituendamque in his regionibus venerint; hoc enimvero non adeo facile judicatu est. Verum tota hæc res fuse ac diligenter ab aliis, & in recentissimis Annalibus Ordinis Prædicatorum explicata est (8). Nobis quidem, si Petrum ipsum Vallicernensem sequimur, Abbates illi serius aliquanto, idest habità jam in Monte Regali disputatione advenisse videntur; *Celebrata disputatione*, ait Petrus (9) *in Monte Regali, dum adhuc essent Prædicatores nostri apud Montem Regalem, & circumquaque verbum Dei, & salutis monita seminantes mendicarent ostiatim panem suum, supervenit vir venerabilis Abbas Cistercii Arnaudus nomine a partibus Franciæ, Abbates XII. habens secum, qui totius viri Religionis, viri perfectæ & sanctæ scientiæ, viri incomparabilis sanctitatis, juxta numerum Sanctissimorum Apostolorum, Abbate decimotertio, duodecim advenerunt; parati de ea, quæ in ipsis erat Fide & spe omni disputanti reddere rationem. Et hi omnes cum pluribus monachis quos secum adduxerant, omnem sectantes humili-*

(1) Gall. Christ. tom.1. pag.804. vet. edit. (2) Cap.43. (3) Pag.574.
(4) Cap.1. (5) Cap.3. (6) Cap.9.
(7) Cap.21. dist.5. (8) Ad a.1205. pag.146. & 1207. pag.170.
(9) Cap.5.

*militatem, juxta exemplar quod eis ostensum erat in monte, idest, quod audierant de Episcopo Oxomense, pedites procedebant. Statim ab Abbate Cisterciense longe lateque singuli dispersi; & assignati sunt unicuique termini proprii, per quos discurrendo prædicationi insisterent, disputationibus insudarent.* Nec tamen nego Arnoldum Abatem fuisse antea, atque aliquos cum illo. Atque ita explico, quod Guillelmus de Podio, antequam narret disputationem ad Montem Regalem habitam, refert Didacum Oxomensem & S. Dominicum, *aggregatis illis Abbatibus Ordinis Cisterciensis, & aliis bonis viris* disputationes habuisse. Nisi malimus, hæc ad posteriora quæ narrat esse referenda. Non enim initio præsertim historiæ suæ Guillelmus temporum rationem sequitur exacte. Levis etiam de numero illorum controversia esse potest. Nam Robertus Autissiodorensis ad a.1207. iisdemque verbis Guilelmus de Nangis (1) XIV. universim Abates numerare videntur: *De consilio Innocentii Papæ Cisterciensis Abbas, aliique circiter* XIII. *ejusdem Ordinis Abbates delegantur, viri probabiles omnes sapientia, facundia præinstructi, & parati ad satisfactionem omni poscenti reddendam de fide, & pro fide etiam animas ponere non verentes. Egressi igitur de Cistercio mense Majo* (Robertus *Martio*) *per Ararim labuntur in Rodanum modicis expensis, equitaturis nullis, ut per omnia viros Evangelicos se probarent.* Hæc illi ad annum, ut dixi 1207. addentes, tres menses operam suam posuisse: *Per tres itaque menses, urbibus, villis, & Oppidis, multo labore, & insidiis appetiti paucos revocant, paucos fideles repertos de fide certius instruunt, & confirmant.* Verum Guillelmus biennium eoque amplius durasse Prædicationem testatur (2); *Continuato itaque biennio, & amplius hoc labore cum accensum ignem per hanc viam extinguere non valerent benedicti Dei pugiles, attendentes quod res ista altiori consilio indigeret, clamare ad Sedem Apostolicam sunt coacti, & ut cæpta prædicatio remaneret, de ordinandis perpetuis Prædicatoribus, est provisum inspirante Domino: & hac de causa sub Beato Episcopo Domino Fulcone Ordo Prædicatorum principaliter est exorsus; quorum Vexillifer B. Dominicus prælationem suscepit pariter, & laborem.* Hæc Guillelmus qui tunc vivebat, & rerum ipsarum erat spectator, & testis. Ceterum biennium illud arbitror ad B. Dominici Prædicationem pertinere, menses illos paucos, ad Abbatum Cisterciensium Prædicationem. Biennium hoc S. Dominico adscribit Bernardus Guidonis in V. Innocen-

(1) Tom.XI. Spicileg. Dacher. vet. edit. pag.485. (2) Cap.10.

nocentii (1); *Ordinem siquidem fratrum Prædicatorum incœpit S. Dominicus in partibus Tolosanis, ubi contra Hæreticos, verbo, exemplo exorsus est quasi biennio ante prædicare sub A. D.* 1203. *Pontificatus D. Innocentii Papæ A.* VI. *a primo exordio computando quo S. Dominicus Tolosam pervenit cum D. Dydaco Episcopo Oxomensi in Marchicis, sive in Daciam proficiscens, & hospitem suum ab Hæretica pravitate convertit prima nocte, qua Tolosæ hospitio sunt recepti sub anno D. prætaxato* 1203. Ceterum Bernardus ipse *in libello seu tractatu Magistrorum Ordinis Prædicatorum*, quem Martene dedit (2), ab a. 1205. quo apud Montem Pessulanum XII. Abates Cistercienses S. Dominicus invenit, biennium computat: quod item Nicolaus Trivettus (3) atque alii faciunt. Petrus Vallicernensis, etsi de S. Dominico ferme tacet, de Didaco tamen loquens narransque ad Montem Pessulanum, primos illos dumtaxat Romani Pontificis Legatos invenisse, nequaquam his postremis consentire videtur. Sed res tota ita in Annalibus, diligenter pertractata est, ut nihil hic addendum videatur. Diutius vero in Albigensibus debellandis permansisse S. Dominicum, constat ex eo quod a. 1213. interfuerit prælio quo Aragoniæ Rex interemptus est; atque ita in Vita illa Innocentii legitur; *Interim autem dum bellum Domini gerebatur* VII. *Episcopi qui convenerant, & tres Abates .... cum suis Clericis, & aliquibus Religiosis, inter quos aderat Religiosus Dei amicus Frater Dominicus Canonicus Oxomiensis, postmodum Fratrum Prædicatorum Ordinis institutor, Ecclesiam intraverunt more Moysi in bello Josue, levantes manus in cœlum, deprecantes Dominum pro servis suis, qui se mortis imminentis periculo pro ejus nomine ac fide exponebant*. Atque hic modus S. Dominicum compellandi, non esse Guidonis illud ipsius opus indicare mihi omnino videtur. Cum S. Dominico, Prædicationi institisse Oxomensem Episcopum, cum quo ille venerat, ex dictis liquet; & breviter Guillelmus de Podio narrat (4); *In ipsis quoque diebus Dominus Deus ipse qui sagittas electas in Providentiæ suæ conservat pharetra, duos de Hispania ad hoc opus produxit electos pugiles Dominum Didacum Episcopum Oxomensem, & Religiosum virum, sanctum postea declaratum socium ejus Dominicum. Duo ergo isti mittentes manus ad fortia &c.* Quæ disputantibus Hæreticis Didacus ingesserit, postea idem narrat (5).

CA-

(1) Pag. 481. (2) Tom. 6. collect. vet. edit. (4) Cap. 8. (5) Ibid. & pag. 398. (3) Tom. 8. Spicil. Dach. cap. 9.

# CAPUT IV.

*De Colloquiis, Conciliis, Bellis, quæ sunt cum Albigensibus habita, & institutis adversus Hæreticos Judiciis.*

I. QUæ ad Hæreticos revincendos argumenta ex Ecclesiæ usu, & Christiana disciplina adhiberi solent, ea cum Albigensibus adhibita sunt omnia. Petrus, quem sæpius laudavimus Vallicernensis (1) narrat Colloquium, seu disputationem habitam ab Oxomensi Episcopo, & Monachis Cisterciensibus in Castro quodam Carmano cum Hæretico Theodorico seu Guillelmo. Guillelmus, & plures habitas esse disputationes significat, & unam apud Viridem folium. Itaque post ea verba, quæ nuper ejus attulimus; *Duo ergo isti mittentes manus ad fortia aggregatis illis Abbatibus Ordinis Cisterciensis, & aliis bonis viris, superstitionem Hæreticorum, in altitudine satanæ gloriantium, non pomposa, aut equestri multitudine, sed calle pedestrico, ad indictas disputationes de Castro in Castrum nudis plantis, & pedibus ambulabant: fuitque una de primis congressionibus apud Viridem-folium, ubi Hæresiarchæ plurimi, scilicet Pontius Jordani, & Arnaldus Arifati, & alii affuerunt.* Sæpius institutas hujusmodi disputationes, significat Petrus quoque, narrans quam S. Dominicus (2) *vir totius sanctitatis* cum Hæretico habuerat, in scripta relatis *auctoritatibus*, quas produxerat; quod scriptum, cum ter in flammas projectum esset, nusquam est combustum. Hanc vero rem admirabilem, & Bollandistæ, & Ordinis Prædicatorum Annales fuse persequuntur. Celeberrima inter has disputationes habita est in Monte Regali, ad quam *omnes Hæresiarchas convenisse* scribit idem Petrus (3). Eam *inter plurimas disputationes, quas in diversis locis habuerunt cum Hæreticis, solemniorem* appellat Guillelmus (4); *cui* inquit, *interfuerunt prædicti nostri pugiles, & Venerabilis vir Petrus de Castello-novo Legatus, & Collega suus Magister Radulphus ex parte sua, & plures alii boni viri; & ex parte altera Hæresiarcha Arnaldus Othonis, Guilhabertus de Castris, Benedictus de Termino, Pontius Jordani, & multi alii.* Atque in his, quæ produximus locis, animadvertes, opinor; quam sæpe *Hæresiarchæ* nomen illud occurrat; quod confirmat vocis hujus usum, quem superius significavimus. Petrus huic disputationi aliam subnectit, quam habitam dicit adversus Vvalden-

(1) Cap. 3. (2) Cap. 7. (3) Cap. 3. (4) Cap. 9.

denses (1), *apud Apamias in territorio Tolosano*, cum jam Abbates illi XII. Cistercienses advenissent. Sed hanc Guillelmus (2) ante disputationem in Monte Regali collocat: quod quidem id declarat, de quo superius admonuimus, rationem eum temporis, aut non exacte assecutum, aut negligere in scribendo voluisse. Deinde subjicit in Historia sua Petrus (3) Concilium habitum apud Montilum, *M. Milo*, inquit, *cum collega suo M. Theodisio ad partes Provinciæ perrexit, veniensque ad quoddam Castrum, quod Montilum nuncupatur convocavit Archiepiscopos, & Episcopos quamplures; qui cum ad eum venissent, quæsivit ab eis diligenter, qualiter procedendum esset in negotio pacis & fidei, præcipue in facto Comitis Tolosani: voluit etiam ut singuli Prælati super certis capitulis, de quibus eum Abbas* (Arnoldus) *instruxerat, sua ei traderent consilia scripta, & sigillata. Factum est, ut præcepit; & quod auditu est mirabile, omnia tam Abbatis quam Prælatorum consilia sine dissensione aliqua convenerunt.* Montiliense hoc Concilium in ceterorum Conciliorum numerum retulere Cossartius, Harduinus &c., atque annum ei assignarunt 1209. quod optime esse factum probat Cl. P. Mansi (4). Harduinus vero (5) Cossartium secutus huic præmittit anno 1207. Concilium, habitum anno superiori incerto loco; ex Vincentio nimirum Bellovacensi scribente (6); *Missi sunt ab Innocentio Papa, XII. Abbates Cisterciensis Ordinis cum uno Apostolicæ Sedis Legato in terram Albigensium, ut fidem Catholicam prædicantes hæretica venena pro viribus expulsarent. Qui convocato Archiepiscoporum, & Episcoporum, aliorumque in partibus illis Ecclesiæ Prælatorum Concilio conquirebant inter se quonam modo commodius id, cujus gratia venerant, exsecutioni mandarent. Illis autem super hac deliberatione sollicitis Ven. Didacus Oxomensis Episcopus supervenit.... Hoc autem fuit ejus, spiritu Divino suggerente, consilium, ut abjecta pompa superflui apparatus... veram atque Evangelicam in se prætenderent paupertatem.* Neminem præter Auctorem Gestorum S. Dominici memorasse hoc Concilium, Cossartius admonuit. Vereor ego, ut ex Montiliensi Concilio, ubi pariter quæsitum est *qualiter procedendum esset in negotio pacis & fidei* extiterit hoc alterum Concilium, quod privatum tantum colloquium videtur significare Petrus Vallicernensis (7); atque ita tempora sint resque confusæ.

 II. Sed

(1) Cap.6. (2) Cap.8.
(3) Cap.XI. (4) Ad a.1208. Raynaldi tom.1. pag.272. edit. Luc.
(5) Tom.6. part.2. col.1975. edit. Parif. (6) Spec. Hist. lib.29. cap.93.
(7) Cap.3.

II. Sed locus hic sese offert, ut ante hoc tempus, quæ in Albigensium negotio Concilia sint habita, exquiramus. Exquirimus autem non quæcumque contra Catharos, seu novos quoslibet Manichæos celebrata sunt (id vero diligentissime eruditissimeque præstitit Cl. P. Thomas Augustinus Ricchinius, Concilia recensens omnia, quibus Catharorum seu Manichæorum Hæresis proscripta est (1)), sed quæ eos maxime damnasse videntur, qui Albigenses dicti sunt, jamque in his partibus locisque insederant; vel ex his in alienas partes jam immigrarant. Si Albigenses Hæretici sunt Publicani; jam a. 1160. de iis actum in Oxoniensi Concilio. Nam ad eum an. Gulielmus Neubrigensis, cujus locum superius indicavimus; *Iisdem diebus erronei quidam venerunt in Angliam ex eorum, ut creditur, genere, quos vulgo Publicanos vocant .... quibusdam curiose indagantibus, quod peregrinæ essent sectæ, deprehensi, tentique sunt in custodia publica. Rex vero nolens eos indiscussos vel dimittere, vel punire, Episcopale præcipit Oxoniæ Concilium celebrari. Ubi dum solemniter de regione conveniretur &c.* Triennio post celebratum est Turonense Concilium, de quo fuse ad eum annum idest 1163. Baronius (2) Acta omnia, & Canones sancitos producens. Retulit autem quædam & in Historiam suam Guillelmus Neubrigensis (3), atque inter cetera hunc Canonem. *A partibus Tolosæ* (4) *damnanda Hæresis dudum emersit; quæ more cancri paulatim se ad vicina loca diffundens, per Gasconiam & alias Provincias, quam plurimos jam infecit &c.* In Vulgaribus Conciliorum collectionibus (5) titulus præfigitur huic Canoni; *Ut cuncti Albigensium Hæreticorum consortium fugiant.* Celeberrimum est Concilium Lumbariense, quod Binius inscripsit, *Concilium Gallicanum adversus Albigenses*: alii (6) *adversus Hæreticos qui Boni homines vocantur*; quod nimirum ita se illi nominarent, ut diximus. Sententiam contra eos pronuntiavit Lodovensis Episcopus: addidit tamen, se id facere, *jussu, & mandato Albiensis Episcopi Assessorumque ejus*; Albiensis vero Episcopus eam confirmans; *Sententiam*, ait, *quam nunc protulit Gaucelinus Episcopus Lodovensis, ego confirmo & laudo, atque meo jussu data est, & commoneo milites de Lumbers, quatenus non manuteneant eos.* Erat enim Lumbers in Albiensi Diœcesi, ut diximus: quare habi-

(1) Differt. 1. cap. 8. in Prolegom. ad Monet. (2) Num. 3. (3) Lib. 2. cap. 4. (4) Ita Neubrig. edit. Antuerp. 1567. pag. 133. apud Baron. & antiqu. coll. 1. tit. 6. n. 10. *in partibus.* (5) V. Hard. tom. 6. p. 2. col. 1597. (6) Hard. ib. col. 1643.

habitum dicitur *in præsentia fere totius populi Albiensis*, *& de Lumbers*, sive ut in ejusdem fine, *in præsentia populorum Castrorum scilicet de Lumbers & Albi*; Subscriptiones vero apponuntur etiam Trincavelli, Vicecomitis scilicet Biterrensis, Constantiæ uxoris Comitis Raimundi Tolosani, Sicardi Vicecomitis Lauracensis sive Lantrocensis. Vulgò dicitur in hoc Concilio primùm esse auditum *Hæreticorum Albigensium* nomen. Ego tamen nisi in titulo a Binio apposito, qui modo etiam sublatus est, eos non reperio; & si tituli placent, vidimus antea in titulo Turonensis Canonis apparere. Hovedenus qui totius ferme Concilii Acta Historiæ suæ inseruit, titulum fecit (1), ut antea diximus, *Heresis Arriana*, *ejusque damnatio*. An. 1178. aliud Concilium Tolosæ habitum a Petro Cardinali tit. S. Chrysogoni (ubi Bituricensis & Narbonensis Archiepiscopi; Reginaldus Batonicensis, & Jo. Pictaviensis Episcopi, & Henricus Abbas Clarevallensis) recenset Cl. Ricchinius. Colloquium potius illud quoddam, ut idem vir doctus vocat, quam Concilium videtur (2). De eo ad eum annum Hovedenus (3). Secutum est a. sequenti Lateranense Œcumenicum, in quo *cap.* 27. quod est de Hæreticis, damnati, qui in Gasconia, Albegesio, & partibus Tolosanis, & aliis locis Catharorum, sive Paterinorum, sive Publicanorum nomine inveniuntur, quos Albigenses interpretari multos, superius monuimus. Illud quoque Hovedenns in annales suos retulit. A. 1184. ut Sigonius & Pagius censent, vel a. 1185. Veronense Concilium habitum est (etsi illud inter Concilia nec Cossartius, nec Harduinus numerarint). In eo decretum contra Hæreticos latum, quod inter Lucii III. epistolas laudati Cossartius, & Harduinus collocarunt (4); damnat vero *Catharos & Patarinos*, *& eos qui se Humiliatos*, *vel Pauperes de Lugduno falso nomine mentiuntur*, *Passaginos*, *Josepinos*, *Arnaldistas*, *& universos qui de Sacramento Corporis & Sanguinis D. N. J. C. vel de Baptismate*, *seu peccatorum remissione aut de matrimonio*, *vel reliquis Ecclesiasticis Sacramentis aliter sentire aut docere non metuunt*, *quam Sacrosancta Romana Ecclesia prædicat & observat*. Non dubito Catharos Tolosanos, sive Albigenses hæc ferire; nondum tamen inter tot nomina nomen Albigensium apparet. A. 1195. Prælati præsertim Provinciæ Narbonensis *de mandato Magistri Michaelis Venerabilis Apostolicæ Sedis Legati*, (ut ibidem dici-

H 2 tur

(1) Pag.555. Script. Tuysden. (2) V. pag.573. (3) V. & Ciaccon. tom.1. pag.1090. (4) Hard. tom.6. p.2. col.1878.

tur (1) ) *apud Montempessulanum pro celebrando Concilio* convenere. Legatus ergo *omnes Hæreticos*, *Aragonenses*, *familias quæ mainatæ dicuntur &c. de consensu omnium sub anathemate posuit ... In fine quoque omnium, addidit, ut, quia in pluribus locis Provinciæ Narbonensis Hæretici sunt, in Consilio Episcopi & Episcoporum sit, qualiter pro eorum, quæ statuta sunt transgressione interdicta debeant promulgari, ne occasione generalis, & diutini interdicti hæreticis occasio pateat ad simplices Catholicæ fidei supplantandos*. Secutum est Concilium Senonense anno D. 1198., in quo ex Roberto in Chr. Antissiodorensi, Hæresis Populicana damnata. Extant etiam Innocentii III. litteræ quibus causa Decani Nivernensis, hæresis ejus notati committitur Michaeli Archiepiscopo Senonensi (2). A.1201. ex Roberto in Chronico Antis. *Euraudus miles, quem Henricus Nivernensis Comes terræ suæ præfecerat ... Hæresis illius, quam Bulgarorum vocant, coram Legato arguitur & dies ei præfigitur de objecta Hæresi publice se purgandi. Legatus Parisiis Concilium convocat, in quo assidentibus cum Legato Archiepiscopis & Episcopis Regni, Parisiensibusque Magistris, Euraudus statuitur &c.* Atque hic nimirum creditur esse *miles ille & hæreticus pessimus in Parisiensi Concilio coram Octaviano Cardinale & Apostolicæ Sedis Legato de Hæresi condemnatus*, qui postea *ad partes se transtulit Narbonenses*, & cum quo Oxomensis Episcopus in Castro Carmano disputavit, ut initio diximus. Repugnat tamen nomen. Nam Petrus Vallicernensis *Theodoricum*, ait, *faciebat se vocari, cum Guillelmus antea vocaretur*. Sed ad ipsam Conventuum sive Colloquiorum, quæ cum Albigensibus habita sunt historiam, & in ejus Hæreseos monumentis occurrunt, redeundum est. Omittimus vero, quod Colloquium Carcassonæ habitum a.1203. inter Catharos Vvaldensesque Hæreticos, & Carcassonæ Episcopum Legatosque Apostolicos coram Petro Aragonum Rege refert Percinus; quod ad Albigenses ipsos non ita propius spectet.

III. Postquam Biterræ & Carcassona expugnatæ sunt, *fuit inter Prælatos, & Barones tractatus habitus per Legatum*, ait Guillelmus de Podio (3), *quis terram acquisitam mereretur, & insisteret acquirendæ; quod oblatum cum qui majores erant in exercitu recusassent, inventus est Deo devotus & strenuus Simon Comes Montisfortis qui multis devictus Prælatorum precibus & Baronum, quod cum ceteris primo recusaverat acceptavit, dicens quod defectu unius Campionis nequaquam Dei negotium remaneret*.

(1) Coll. Hard. t.6. p.2. col.1933. (2) Ib. col.1947. (3) Cap.14.

*ret*. De eodem colloquio Petrus (1), & Bernardus (2), qui anno consignat 1209. Cum Comes Raimundus de terris suis dejectus, Romam, venisset, *tentans si quomodo posset restitui terræ suæ*, ut idem Petrus ait (3); Pontifex ne eum in desperationem ageret Purgationem indixit: *Interea*, ait Petrus, *M. Milo convocavit apud Avenionensem Provinciam Concilium Prælatorum, in quo Concilio excommunicati fuerunt & expositi Cives Tholosani, pro eo quod ea, quæ Legato & Crucesignatis promiserant de expulsione Hæreticorum, contempserant adimplere. Comes etiam Tolosanus in prædicto Concilio excommunicatus fuit, sub conditione tamen, si abjurata pedagia denuo accipere attemptaret*. Habitum esse hoc Concilium a.1210. Cossartius probat, & diversum esse ab alio Avenionensi Concilio, quo multa constituta & decreta sunt, quod quidem a.1209. celebratum vult: atque in illo quidem una cum Milonis nomine, nomen legitur Hugonis Regiensis, qui ipse quoque Papæ Legatus appellatur. Inter cætera vero contra Hæreticos hoc quoque sancitum (4) *quod quilibet Episcopus cives suos, comites, Castellanos, milites, & alios Parochianos suos, de quibus viderit expedire per censuram Ecclesiasticam, si opus fuerit, jurare compellat, sicut illi de Montepessulano juraverunt, præcipue circa exterminandos Hæreticos*. Eodem a. cum Comes Tolosanus obtinuisset ut purgatio duorum illorum criminum sibi indiceretur; *convocatis in villa S. Ægidii ab Episcopo Regiensi M. Theodisio Archiepiscopis & Episcopis, & aliis pluribus Ecclesiarum Prælatis; Comes etiam affuit Tolosanus, conaturus si posset quoquomodo purgare se de morte Legati, & crimine Hæreseos*. Purgatio tamen admissa non fuit, quod mandata quæ sibi fuerant, juraveratque se præstituturum non perfecisset. Imo *comuni consilio, & assensu Prælatorum, propter multas & multum rationabiles causas iterum excommunicatus fuit in eo loco nequissimus Tolosanus, & omnes fautores, & adjutores ejusdem*. Hæc ex Petro (5). Excommunicationem probavit Innocentius litteris ad Arelatensem Episcopum, ubi tamen cum dicatur sententia lata ab Uticensi Episcopo, *Regiensi* legendum esse puto. Illo eodem a. 1210. Conventus habitus est Narbonensis. *Huic colloquio affuerunt Uticensis Episcopus & Venerabilis Abbas Cistercii*, ait Petrus (6), ... *affuit & prædicto colloquio Magister Theodisius, & multi alii viri sapientes & boni*. Additque, *Tractatum fuit in prædicto colloquio de Comite Tolosæ, & facta fuisset ei magna gratia & copiosa misericordia*

(1) Cap.17. (2) V. Innoc. p.481. (5) Cap.39. (6) Cap.43.
(3) Cap.33. (4) Cap.2.

*dia, si idem Comes sanis consiliis acquiescere voluisset*. Id enim largiebantur, ut, modo Hæreticos e terris suis expelleret, liceret ei quæcumque amiserat recuperare. Nihil tamen ab eo impetratum constat: imo suspicor, etsi Petrus taceat, anathema, quo implicatus jam fuerat, confirmatum: nam Innocentius III. in litteris datis ad Arelatensem Episcopum *Laterani* XVII. *Kal. Maii Pontif. a.*XIV., sententiam ait adversus eum promulgatam *a Venerabili Episcopo Uticensi & dilecto filio Cisterciensi Abbate*. Cossartius interpretatur de sententja in villa S. Ægidii lata: quod vero eam tulerit Regiensis Episcopus & Theodisius, nomina corrigenda illa putat. Sed audacior mihi quidem correctio hujusmodi videtur, maloque, ut dixi, de Narbonensi hac sententia, ubi Judicum nomina conveniunt optime, interpretari. A. 1212. mense Novembri, ut apud eumdem Vallicernensem legitur (1) *convocavit nobilis Comes Montisfortis Episcopos, & nobiles terræ suæ apud Castrum Apamiarum celebraturus colloquium generale. Causa autem colloquii hujus ista fuit, ut Comes noster, in terra, quam acquisierat Sanctæque R.E. subjugaverat, institui faceret bonos mores, hæretica spurcitia procul pulsa, quæ tota corruperat terram illam*. Addit ad consuetudines illas statuendas electos esse XII. viros, ex quibus IV. erant Ecclesiastici. Juraverunt vero cum ipse, tum milites sui eas servaturos. Præterea *redactæ sunt in scriptum, sigillo etiam Comitis, & omnium Episcoporum qui ibi plures erant, firmatæ, & munitæ*. Anno insequenti celebre Concilium celebratum est apud Vaurum, quod idem Petrus fuse describit (2): nam *assignata fuit communi assensu dies & locus inter Tolosam, & Vaurum, ubi colloquium celebrari deberet*. Rex Aragonum die tertio, cum a loco colloquii recessisset, Tolosamque venisset postulata quædam scripsit pro Tolosano & Fuxensi, & Convenarum Comitibus, & Gastone de Bearno, ad quem PP. responderunt litteris, quarum est inscriptio, *Illustri & dilecto P. Dei gratia Regi Arragonum, Comiti Barchinonensium Concilium apud Vaurum salutem & sinceram in Domino dilectionem*. Cum nihil Rex impetrasset, appellasse ad Sedem Apostolicam, idem narrat. In eo pariter Concilio actum, an purgatio quam Pontifex Comiti Tolosano concesserat recipienda esset, negatumque eam admittere oportere, ex Innocentii litteris Cossartius decernit. A. 1213. cum celebris victoria a Catholicis, Castro quod Murellum vocant ab obsidione liberato, relata esset, scripsere qui ibi erant congregati Episcopi & Abbates Synodicam, quam & Pe-

(1) Cap. 65. (2) Cap. 66.

& Petrus Vallicernensis (1) & Mattheus Parisius (2) recitant; epistolæ vero se ita subscribunt, *Nos Tolosanus, Nemausensis. Uticensis, Biterrensis, Agatensis, & Convenarum Episcopi; & de Claraco, Villa magna, & S. Tiberii Abbates, qui mandato Venerabilis Patris Narbonensis Archiepiscopi Apostolicæ Sedis Legati veneramus, & de pace ac concordia tractare cum summa diligentia summoque studio nitebamur*. A. 1215. Concilium habitum apud Montempessulanum; *Convenerunt apud Montempessulanum Archiepiscopi, & Episcopi vocati a Magistro Petro Beneventano Apostolicæ Sedis Legato ad Concilium, ut de his quæ pacis erant, & Fidei idem Legatus secundum Prælatorum Concilium ordinaret*, ait Petrus (3). *Convenerunt autem ad illud Concilium quinque Archiepiscopi*, videlicet Narbonensis, Auxitanus, Ebredunensis, Arelatensis, Aquensis. *Fuerunt Episcopi* XXVIII. *pluresque e Baronibus terræ ibi affuerunt*. Pergit narrare, esse in eo concilio deliberatum, *cui melius & utilius ad honorem Dei, & sanctæ matris Ecclesiæ, & pacem terræ, ad expugnandam vel expurgandam spurcitiam Hæreticorum, concedi, & assignari debeat Tolosa quam Comes Tolosanus tenuit, & aliæ terræ, quas occupaverunt exercitus Christianorum Crucesignatorum*. Constitutum vero, ut concederentur Comiti Montisfortis: missus ideo est Romam Ebredunensis Archiepiscopus Legatus, cum litteris, *in quibus supplicabant Prælati omnes Domino Papæ instantissime, ut nobilem Comitem Montisfortis, quem unanimiter elegerant, concederet eis in terræ Dominum, & Monarcham*. Respondit Innocentius, scripsitque litteras, quibus terram eam omnem *commendabat Comiti Montisfortis custodiendam, donec in Concilio Generali, quod in Kalendis Novembris illius anni Romæ convocaverat, de terris prædictis plenius ordinaret*. Extant nunc quoque litteræ Innocentii Comiti Montisfortis, quibus id conceditur. Id vero factum a Legato, habito alio conventu Carcassonæ; *Quadam igitur die*, inquit Petrus (4), *convocavit Legatus ad se in domum Episcopi Carcassonensis Episcopos qui aderant, Ludovicum, & Comitem Montisfortis, & nobiles qui erant cum Ludovico* (Ludovico VIII. Rege Franciæ); *Quibus omnibus congregatis Legatus juxta formam mandati Apostolici, commendavit Comiti terram usque ad Concilium Generale*. In eodem Concilio, quod habitum diximus apud Montempessulanum, multa de Ecclesiastica disciplina atque Hæreticis statuta; *ad reformandam*, ut ait Petrus Legatus in epistola ad Arch. Narbonensem (5), *& confirmandam fidem Catholi-*

(1) Cap.73. (2) Ad a.1213. (3) Cap.81. (4) Ib. pag.657. (5) Tom.6. p.2. coll. Hard. col. 2044.

*tholicam locis, in quibus omnino defecit, vel periclitari videtur;* subditque; *non enim convenit Sanctæ Ecclesiæ, aut Christianitati, sanctum Christi negotium contra Albigenses, & Tolosanos Hæreticos tot & tantis divinis promotum miraculis, imperfectum post terga relinquere, cum jam sit per Dei Gratiam in portu debitæ consummationis*. A. eodem 1215. celebratum est Concilium Oecumenicum Lateranense IV. Venisse ad illud Comitem utrumque Tolosanum, & Comitem Fuxi, Petrus testatur (1), ut nimirum terras suas recuperarent; Simon vero Comes Montisfortis Guidonem fratrem misit. Guillelmus de Podio narrat (2) Tolosanum Comitem cum filio illò venisse *de Anglia cum quodam mercatore sub specie servientis*; affuisse etiam Petrum Bermundi, *occasione uxoris primogenitæ Comitis Tolosani, quam habuit in uxorem; si contingeret terram adjudicari eis, ut primogenito postulabat*. Secus tamen evenit. Nam ut idem addit; *fuitque terra adjudicata Comiti Montisfortis, privato inde per sententiam Comite Tolosano, & fuit traditum Castrum Narbonense eidem Comiti Simoni, & juratum ei a civibus atque Burgensibus Tolosanis, & ipse nominatus, & habitus pro Comite Tolosano, & a notariis ponebatur Comes in publicis instrumentis*. Petrus, fuisse in eo Concilio aliquos etiam de Prælatis, qui Comiti Tolosano faverent; Papam vero *pro majori parte, & saniori* illud decrevisse, tradit. Sententia hæc extat in Spicilegio d'Acheriano (3); in ea Raimundo Comiti Tolosano conceditur, ut *de proventibus terræ, pro sustentatione sua, quadringentas marcas percipiat annuatim, quamdiu curaverit humiliter obedire*; adjicitur; *uxor vero ipsius Comitis, soror quondam Regis Arragonum, cui ab omnibus laudabile testimonium perbibetur, quod sit mulier honesta & catholica, terras ad suum dotalitium pertinentes integre habeat, & quiete; ita tamen ut eas sic ad mandatum Ecclesiæ faciat custodiri, quod per ipsas negotium pacis & Fidei non valeat perturbari, vel pro illis secundum Apostolicæ Sedis arbitrium recompensationem accipiat competentem*. Diximus a. 1221. missum Legatum Corradum Cisterciensem: Guillelmus verò scribit (4); *Ejusdem Legati tempore, sumptis treguis sub spe pacis, duo fuere colloquia permissa ad tractandum; unum apud Sanctum Florum castrum Arverniæ; & aliud Senonis Burgundiæ Metròpoli civitate: tamen pacis effectus in vento est secutus; nondum enim peccata erant completa Amorrhæorum*, Nescio, an Senonense colloquium illud fuerit, quod indictum ibi esse

(1) Cap. 83. (2) Cap. 26. (3) Tom. 7. pag. 210. vet. edit. (4) Cap. 34.

esse narrat Matthæus Paris, scribens (1) ad a. 1223. *Circa dies istos Hæretici Albigenses constituerunt sibi Antipapam in finibus Bulgarorum Croatiæ & Dalmatiæ nomine Bartholomæum. In quibus partibus error ille adeo invaluit, ut etiam Episcopos & alios multos regionum illarum ad suam allexerit pravitatem: contra quem C. Portuensis Episcopus & in partibus illis Apostolicæ Sedis Legatus Rothomagensi Archiepiscopo scripsit in hæc verba*. Litteras ipsas recitat, in quibus hæc inter cetera de Antichristo; *Ille homo perditus qui extollitur super omne quod colitur aut dicitur Deus, jam habet perfidiæ suæ præambulum Hæresiarcham quem Hæretici Albigenses Papam suum appellant habitantem in finibus Bulgarorum Croatiæ; & Dalmatiæ juxta Hungarorum nationem. Ad eum confluunt Hæretici Albigenses, ut ad eorum consulta respondeat. Etenim de Carcasona oriundus vices illius Antipapæ gerens Bartholomæus hæreticorum Episcopus, funestam ei exhibendo reverentiam, sedem & locum concessit in villa, quæ Porlos appellatur, & se ipsum transtulit in partes Tholosanas. Iste Bartholomæus in litterarum suarum undique discurrentium tenore se in primo salutationis alloquio intitulat in hunc modum, Bartholomæus servus servorum sanctæ fidei, tali salutem. Ipse etiam inter alias enormitates creat Episcopos & Ecclesias perfide ordinare contendit*. Duos hic Corradus distinguere videtur Papam Albigensium habitantem in villa Porlos, & Bartholomæum degentem Carcassonæ, quos confudit Parisius. Sequitur Corradus, Episcopos rogans eisque præcipiens, *quatenus veniatis Senonis in octavis Apostolorum Petri & Pauli proxime futuris, ubi & alii Prælati Franciæ, favente domino, congregabuntur, parati consilium dare in negotio prædicto, & cum aliis, qui ibidem aderunt providere super negotio Albigensi*. Quamvis enim, Gullelmus ad id factum significet dumtaxat, ut pax curaretur, tameu & aliud hoc esse potuit, quod narrare ipse neglexit, vel de Bartholomæo actum non fuit, quod, ut idem Parisius addit; *Hunc tumultum mors prædicti Antipapæ celeriter terminavit*. Meminit hujus Concilii & Guillelmus Brito (2), & Rigoldus, & alii. *A. D. 1224. Ludovicus Rex Franciæ III. Nonas apud Parisios parlamentum generale tenuit, in quo Honorius Papa Indulgentiam, quæ in Lateranensi Concilio contra Albigenses Hæreticos fuerat instituta, auctoritate propria ad tempus revocavit, & Raimundum Comitem Tolosanum fide catholicum approbavit*: ita legitur in fragmento Historico apud du Chesnium (3). De eo

 nihil

(1) Pag. 317. edit. Londin. a. 1640.
(2) Lib. XII. Philipp.
(3) Tom. 5. pag. 285.

nihil ceteri Historici. Nescio an hoc indicare voluerit Spondanus, testatus, habere Annales Fuxenses & Francorum, dum in expeditione esset Ludovicus, Legatum habuisse conventum Prælatorum ac Procerum, qui Comitem Fuxensem absolvit. De Comite tamen Fuxensi loquitur; nec locus convenit *apud S. Jo. de Virginibus prope Fuxum*, nec tempus a. 1226. quo nimirum jam expeditionem susceperat Ludovicus. In Turonensi Chronico a. 1226. duo narrantur Parisiensia Concilia I. in quo Legatus *auctoritate Domini Papæ Raimundum Comitem Tolosanum suosque complices excommunicavit, & terram illius, tamquam damnati Hæretici Ludovico Regi Franciæ & Hæredibus ejus in perpetuum confirmavit*: Amalricus enim ei cesserat, ut diximus, & hic quoque traditur. Additur vero delegatos esse *qui crucem assumendam contra Hæreticos prædicarent, & excepto voto peregrinationis Hierosolymitanæ, eos ab omnibus aliis votis, necnon & delictis absolverent*. Regi vero a Legato promissa ad quinquennium anno quolibet *centum millia librarum super decimam redituum & proventuum Clericorum*. De altero Conventu IV. Cal. April. *Ludovicus Rex apud Parisios concilium convocavit. Ibique multa cum Legato Episcopis & Baronibus tractans de negotio Albigensi, universis & singulis regni sui, qui ei debebant exercitum, mandavit per litteras & præcepit ut* IV. *Dominica post Resurrectionem, in occursum ejus cum armis debitis apud Bituricas convenirent*. A. 1227. habitum est Concilium Narbonense, cujus Acta laudatus Catelus edidit. In eo, capite præsertim XVII. Albigenses perstringuntur: jubetur enim ut Raimundus, junior, Comes Fuxensis, & Trincavellus Vicecomes Biterrensis; & *præsertim illi de Limoso* & alii, qui cum Ludovico Regi jurassent, postmodum aversi sunt ab Ecclesia, eorumque adjutores *candelis accensis, & pulsatis campanis denuntiarentur excommunicati*. Ex Gulielmo de Podio (1) Helias Garini Abbas Grandis Silvæ cum venisset auctoritate Legati pacem oblaturus Tolosanis, *miscentur Colloquia circa Vasegiam; & quod sit in Franciam eundum ordinatur. Et locus ad conveniendum primo fuit Meldis in Bria Civitate Comitis Campaniæ assignatus: adfueruntque tam jussi quam spontanei Archiepiscopus ejusque suffraganei Provinciæ Narbonensis; veneruntque illuc Comes Tolosanus, & alii viri, & cives Tolosæ .... eratque ibi Legatus pluresque alii Prælati qui fuerant evocati, ubi tractando pacis modum, diebus pluribus est moratum. Deinde profecti sunt Parisios, ut in præsentia Regis deberent omnia consumari; omnibusque ad calcem dictis & sigillatis, reconci-*

(1) Cap. 39.

*conciliatus fuit Comes in die Parasceves*; *& qui cum eo erant excommunicationis sententia innodati*. Tractatum tunc factum refert Catelus (1). Sunt & Statuta S. Ludovici IX. apud eumdem Narbonensibus inscripta (2). Idem Gulielmus deinde (3), ubi Tolosæ urbis reconciliationem narravit per M. Petrum de Collomedio gerentem Legati vices, Concilium refert Tolosæ habitum a Legato eodem an. idest 1229. *Idemque Legatus ibidem Tolosæ post æstatem Concilium celebravit cui interfuerunt Narbonensis Burdigalensis, Auxitanensis Archiepiscopi, Episcopi, multi alii Prælati. Item adfuerunt Comes Tolosanus, & alii Comites præter Fuxensem; Barones, & Senescallus Carcassonæ & Consules Tolosani duo, unus de Civitate, & alius de Burgo, qui statuta pacis in totius universitatis animam juraverunt: & tam Comes quam cæteri illud approbaverunt, & fecerunt; & idem fecit postea tota terra*. Statuta præterea in eo Concilio Conciliorum Collectores retulere. Præter cætera sancitum de Hæreticis hoc Canone X. ut Hæretici vestiti redeuntes ad Catholicam Ecclesiam in *detestatione veteris erroris duas cruces portent de cætero altius præeminentes alterius coloris, quam sint vestes eorum, unam a dextris, & alteram a sinistris*. In Concilio Biterrensi an. 1233. can. 4. qui id non faciunt decernitur, ut *pro Hæreticis habeantur, & bona eorum confiscentur*. An. 1229. pariter, ut eodem loco habet Guillelmus, cum Legatus Rhodanum transivisset, *Aurasiæ civitate Cisalpina cum Archiepiscopis, Episcopis & Prælatis suum Concilium celebravit, & litteras pœnitentiarum quas ordinaverat contra suspectos, quos Tolosæ per inquisitionem invenerat, remisit Episcopo Tolosano de Castro Mornais ubi erat. Quas Episcopus Tolosanus reversus, vocatis eis, in Ecclesia S. Jacobi publicavit*. A. 1232. habitus est conventus Melodunensis, quem ex eodem Guillelmo referemus (4). Cum ergo Tolosanus Comes Parisiensibus decretis minus exacte hærere videretur; *Legatus vocatis secum venerabili Archiepiscopo Narbonensi, & quibusdam suis Episcopis Suffraganeis ipsum vocatum a Rege coram eo convenit super pluribus articulis in pace Parisiensi expressis minus vere, sicut decuerat, atque debuerat, observatis; fuitque ordinatum finaliter, quod idem Comes omnia emendaret ad cognitionem Episcopi Tolosani, & unius militis, quem rex ad hæc tractanda & agenda cum eodem Episcopo destinaret: solutoque colloquio apud Melodunum habito, Episcopus præveniens, reformationis articulos ordinavit*. Addit, militem



(1) Pag. 333. (2) Pag. 340. Vide Script. Duchesn. pag. 810. & *Ordinationes* &c. *Ludovici IX*. to. 5. (3) Cap. 40. (4) Cap. 42.

litem illum electum Ægidium de Flaviaco, qui *cum venisset Tolosam, expositi sunt omnes articuli Comiti Tolosano; ex quibus Comes formavit statuta sua, & ea in præsentia Legati, & plurium in Claustro S. Stephani Tolosæ in communi colloquio publicavit*. Hinc ergo Colloquium alterum Tolosanum habemus. Statuta vero illa Catelus vulgavit (1). Paulo post subdit Guillelmus; *Item circa illud tempus Dominus Legatus apud Biterrim Concilium celebravit*. Extant nomine Romani Legati Canones hujus Concilii XXVI. (2) in quorum primo præcipitur, ut Hæretici, & eorum credentes, fautores, receptatores & defensores singulis diebus dominicis excommunicentur. Postremum Concilium facimus Narbonense, in quo Fidei Inquisitoribus leges quædam positæ. Capitula quæ in Conciliorum collectionibus extant (3), a Petro Narbonensi, Jo. Arelatensi, Raimundo Aquensi Archiepiscopis, ceterisque Prælatis inscribuntur, *Dilectis & fidelibus in Christo filiis Ordinis Prædicatorum fratribus, Inquisitoribus Hæreticorum per memoratas, & circumjacentes provincias constitutis*. De anno nihil decerni potest.

IV. Colloquiis & disputationibus atque Conciliis aliud argumentum accessit ad Albigensem Hæresim extirpandam multo vehementius, ut adversus eos armis bellisque ageretur. *Summus Pontifex*, ait Petrus Vallicernensis (4), *ut ad extirpandam partem hæreticam fideles populos efficeret promptiores generales miserat litteras, ad omnes Prælatos, Comites, & Barones, & universum populum in Regno Franciæ constitutum, monens efficaciter, & exhortans, ut festinarent ad vindicandam in Narbonensi Provincia injuriam Crucifixi, scientes remissionem omnium peccaminum a Deo, ejusque Vicario universis indultam, qui Orthodoxæ Fidei zelo succensi ad opus se accingerent hujus pietatis, dummodo contriti essent pariter & confessi. Quid plura? publicatur ista Indulgentia in Francia; armat se multitudo magna Fidelium signo Crucis*. Nostri tamen instituti non est hæc narrare, qui non Historiam sed dissertationem scribimus: itaque ea dumtaxat quæ animadversione digna videntur, attingimus. Eam expeditionem libro hac de re edito P. Langlois (5) executus est; aliique diligentissime. Primò quidem nunc factum videtur, ut interposita Pontificis Romani auctoritate, & Thesauro Ecclesiæ resignato, bellum indiceretur contra Hæreti-

(1) Ibid. (2) Tom. 7. Hard. col. 208. (3) Ib. col. 251.

(4) Cap. 10. (5) Histoire des Croisades &c.

reticos. Atque hinc forte Guillelmus (1); *Cum jam Hæresis excrevisset, magnatibus terræ consentientibus, quòd non tam studiosos in se posset accendere, quam armatam manum militiæ exercere, destinantur in Franciam, quæ semper consuevit gerere bella Dominica, ad Regem & Barones, & plebem viri idonei: Indulgentiam auctoritate Apostolica prædicare cœperunt contra Hæreticos, quæ concedi transfretantibus in Terræ Sanctæ subsidium consuevit*. Etsi verò Francia hic tantum appelletur; & re vera extent apud ipsum Petrum Vallicernensem Innocentii litteræ (2) *Comitibus, Baronibus, & universis militibus per Narbonensem, Arelatensem, Ebredunensem, Aquensem, & Viennensem Provinciam constitutis*, inscriptæ; item inter ipsius Innocentii epistolas aliæ Episcopis (3) harum Provinciarum, nominatim vero Lugdunensi (4), necnon Philippo Francorum Regi (5); nihilominus idem factum etiam in Alemannia, Cæsarius (6) testatur. *Anno*, ait, 1210. *prædicata est crux contra Albienses in tota Alemannia, & Francia, & ascenderunt contra eos anno sequenti de Alemannia Lupoldus Dux Austriæ, Engelbertus tunc Præpositus postea Archiepiscopus Coloniensis, & frater ejus Adolphus Comes de Monte, Villelmus Comes Juliacensis, & alii multi diversæ conditionis, & dignitatis. Simile actum est in Francia, in Normannia, atque Pictavia*. Inter hos etiam fuisse Comitem de Barro superius diximus. Idem ex aliis AA. Broverus lib.xv. Annalium Trevirensium tradit. Postea id factum opera Guillelmi Archidiaconi Paris. & Jacobi de Vitriaco, Petrus adnotavit (7); *Tempore illo Guillelmus Ven. Archid. Paris. & quidem alius Magister Jacobus de Vitriaco, de mandato & ad preces Episcopi Uticensis, quem Dominus Papa pro negotio Fidei contra Hæreticos Legatum præfecerat ... zelo Fidei succensi Franciam imo & Alemanniam circumeuntes tota hyeme illa incredibilem fidelium multitudinem ad Christi militiam signo crucis in pectoribus signaverunt*: Quæ verba postrema digna animadversione sunt. Nam hoc illi peculiare habuisse videntur Crucesignati contra Albigenses, ut Crucem deferrent in pectore. Petrus Vallicernensis (8); *quamplurimi nobiles & ignobiles contra hostes crucis armaverant se in pectoribus crucis signo*. Itaque consulto videtur dixisse Robertus de Monte in supplemento Sigeberti ad an. 1208. *Multi in Gallia cruces in pectoribus acceperunt pugnaturi contra Albigenses*. Ac præ-

I 3 terea

(1) Cap.10. (2) Cap.8. (3) Ex recens. Baluf. lib.XI. ep. 26.tom.2. pag.147. (4) Ibid. ep.27. (5) Ib. ep.28. (6) Dist.5. cap.21. (7) Cap.85. (8) Cap.13.

terea crucem illam assutam vestibus habuerunt: quare Petrus Vallicernensis (1) refert aliquando accidisse, *quod combusta tota cappa, sola illa particula in qua crux assuta erat remansit integra, & penitus incombusta*. Idem innuit alibi (2); *unus ex adversariis jactu balistæ sagittam in quemdam de nostris dirigens percussit eum valide in pectore, in loco, in quo Crucis signum affixum erat*. Gretserus adnotavit (3) Crucesignatos pro Palestina expeditioue aut in fronte, aut dextera in scapula, Crucis signum deferre consuevisse; Itaque *Robertus Monachus de Boamundo; Cum requireret quod signum gestarent peregrinationis, didicit, quod aut in fronte aut in scapulis dextris signum ferebant sanctæ Crucis*. Addi aliis testimoniis potest, quod Martinus Sanutus (4) S. Ludovicum IX. inducit Parisiensi Episcopo dicentem; *Domine Episcope ego vos requiro, ut Crucem ultramarinam meis humeris imponere debeatis*. Atque hinc & plurimis aliis exemplis constat; nobilioribus præsertim viris Crucem hanc aut ab Episcopis, aut a R. P. Legatis solemni cerimonia datam fuisse. Comes ipse Tolosanus apud Petrum Vallicernensem (5) Crucem accipit a Legato. Cæremonias ritusque, quibus id fieret exponit Gretserus (6). Hic dumtaxat observandum, aliud ab eo fuisse, cum novus miles initiabatur. Ritum quo id fieret, etsi in Vita S.Ludovici IX. sæpius exponitur: nam & fratrem Carolum, & Philippum filium milites fecit, tamen nescio an ullibi disertius, quam apud Vallicernensem exponatur, in Amalrico Simonis Montisfortis filio (7); *Christianissimus autem Comes voluit & rogavit Aurelianensem Episcopum, ut filium suum Christi militem faceret, & ipsemet traderet ei cingulum militare ..: . Ipsa autem die nativitatis S. Jo. Vener. Aurel. Episcopus induit se Pontificalibus indumentis celebraturus in papilione quodam Missæ solemnitatem. Convenerunt autem tam clerici quam milites ad audiendam Missam: astante igitur Episcopo ante altare & Missam celebrante, apprehendens Comes Almaricus primogenitum suum per dexteram, & Comitissa per sinixtram accesserunt ad Altare & obtulerunt illum Domino, rogantes Episcopum, ut facerent eum militem ad servitium J. C. Quid plura? statim Aurelianensis, & Autosiodorensis Episcopi flexis genibus ante altare, cinxerunt puerum cingulo militari, incipientes cum devotione maxima; Veni creator spiritus; ... Hoc modo & ordine sæpedictus puer cum magna solemnitate factus est novus miles*. Prefixum nume-

(1) Cap.53. (2) Cap.34.
(3) Tom.5. de Cruce lib.2. cap.2. (tom.3. pag.73. edit. Ratisb. 1734.)
(4) Lib.3. part.12. cap.1.
(5) Cap.13. (6) L. all.
(7) Cap.8.

merum xl. dierum Crucesignatis alibi diximus. Non omittendum hic dicere *de Confratria magna facta Tolosæ, & Crucesignata contra Hæreticos, & usurarios manifestos*, ut habet titulus Capitis xv. Historiæ Guillelmi, qui eam sic exponit; *Venerabili itaque Patre Fulcone Episcopo curam gerente vigilem, quod omnes ejus cives Tolosani, ista quæ extraneis concedebatur Indulgentia non carerent, utque per hanc devotionem eos Ecclesiæ aggregaret, atque facilius per eos expugnaret Hæreticam pravitatem, & fervorem extingueret usurarum, cum Dei auxilio, juvante Legato, obtinuit Tolosæ, magnam fieri confratriam, confratres omnes consignans Domino signo Crucis, in qua fuit tota fere civitas præter paucos; & de Burgo aliqui consenserunt*. Alia de ea narrat. Sed hinc colligimus, ad Tolosanos, quòd contra eos nimirum arma præcipue sumerentur, nequaquam esse missos qui Cruce-signatos milites conscriberent. Deinde etsi nulla hac in re S. Dominici mentio, vel ab ipso Guillelmo, vel ab aliis veteribus scriptoribus facta; nihilominus *sunt, atque non sine magnis quidem rationibus*, ajunt Annales O. P. (1) *qui hæc fuisse Tertii Ordinis Prædicatorum initia arbitrentur*. Argumenta ibi proferuntur, atque etiam nonnulli ex recentioribus doctissimi viri, qui id verisimile judicarunt, aut verum esse consenserunt, ut Guillelmus Cuperus, & qui amplissimæ Senatoris Veneti dignitati, ac reliquis innumeris laudibus hoc quoque adjungit, ut editis præclaris ingenii sui & doctrinæ monumentis benemereri de Historia voluerit, Flaminius Cornelius.

V. De tempore quo conscripti sunt Cruce-signati consentimus iisdem diligentissimis Annalium Scriptoribus, ex Innocentii litteris plane constare A. 1208. id fieri cœpisse, cui anno idem consignat Guillelmus Nangius, & Albericus: sed quoniam nonnisi sequenti hi in Galliam Narbonensem irruperunt, annisque sequentibus in aliis Europæ Provinciis delectus rursus habitus Cruce-signatorum; hinc aliis alios annis idem tribuisse. Anno 1209. prima Cruce-signatorum egregia facinora, & victoriæ de Urbe Biterrensi, & Carcassonensi. Hæc veluti Epocha prima. Altera esse videtur prima Tolosæ obsidio a. 1211. quam Capite lv. Petrus Vallicernensis describit Tertia obsidio altera, sive Simonis Comitis Montisfortis obitus in ipsa obsidione Tolosæ, quam prius expugnatam recuperaverat Comes Tolosanus. Hic definit Historiam suam Petrus Vallicernensis anno nimirum 1218. Scriptor est antiquior non solum Guillelmo, qui reliqua persecutus est, sed Cæsario. Nam Cæsarius, narrat

(1) Pag. 231.

narrat, Raimundum Tolosanum in Tolosam se transtulisse, de qua inquit, *usque hod e paeses vexare & impugnare non cessat*; ac deinde; *Et sicut hoc anno Dominus Corradus Episcopus Portuensis, & Cardinalis contra Albienses Legatus missus scripsit Capitulo Cisterciensi &c.* Corradus, ut vidimus, Legatus missus est a. 1221. Itaque eo anno circiter hæc scripsisse videtur Cæsarius. . Alia quædam epocha statui potest in morte Comitis Raimundi quam a. 1222. collocat Guillelmus. Denique eo tempore, quo idem Guillelmus ait Inquisitionem Hæreticorum commissam FF. Ordinis Prædicatorum. Atque ipse quidem Historiæ finem suæ imponit, narrans Philippum Franciæ Regem, venisse ad partes Tolosanas, captumque Comitem Fuxi duxisse in Franciam a. 1277. Nec silendum vero est, Expeditiones has admirabilibus rebus promotas. Frequentissimæ hæ sunt, præsertim in Petri Vallicernensis Historia (1), nec vero ipsarum frequentia suspectas eas facit; si ad ipsas Palæstinas expeditiones convertamus animum, in quibus eædem fuerunt porro frequentissimæ. Aliud fuit humanæ artis subsidium, machinæ ipsæ bellicæ, quæ in hac præcipue Historia occurrunt exactissime descriptæ, Catus, Mangonellus, Petraja &c. (2). Atque hos quidem Historicos nostros si Carolus de Aquino, aliique, qui de hujusmodi rebus scripserunt, consuluissent, juvari plurimum potuissent. Sed præcipuum, ut debebant, subsidium positum in precibus ad Deum fusis, iidem Historici testantur. Petrus Mosayci obsidionem narrans (3) *Cum fieret autem insultus iste, Episcopus Carcassonæ, & ego per exercitum discurrebamus nostros exhortantes. Archiepiscopus autem Rhemensis, & Tullensis, & Albiensis Episcopi, & Guillelmus Archidiaconus Parisiensis, Abbas etiam Mosayci cum quibusdam Monachis, reliquusque clerus exercitus, in Montis descensu ante Castrum stabant, induti vestibus albis, & nudis pedibus tenentes ante se Crucem, cum Reliquiis sanctorum, voce altissima & devotissima cantabant, Veni creator spiritus, divinum auxilium flagitantes.* Et cum Cassonolium aggrederentur (4); *Episcopus autem Carcassonæ & Clerici qui erant in exercitu cum eo convenerunt in locum eminentiorem prope Castrum clamaturi in cælum, & pro nostris pugnantibus oraturi . . . Interea Clerici nostri ,, Veni creator spiritus ,, cum devotione maxima decantabant.* Discimus autem ex his locis ea potissimum prece usos, ut Spiritum Sanctum, decantato ejus hymno, invoca-

(1) Cap. 22. cap. 34. cap. 38. c. 53. &c. Murator. pag. 568. 571. &c.
(2) V. Petri cap. 37. cap. 41. cap. 42. cap. 56. cap. 62. & Bernard. Guid. ap.
(3) Cap. 63. pag. 621.
(4) Cap. 79. pag. 650.

vocarent. Nec Clerici solum, sed Comes ipse Montisfortis assiduus erat in precibus. Juvabit hic aliquid referre quod Petrus ipse narrat, & veteris ritus, qui tunc quoque perstaret, vestigia repræsentat. Cum esset in campo Murelli contra Aragonum Regem pugnaturus, *Cum intraret munitionem Castri, ut se armaret, & transiret per ante Basilicam suam, subito introspexit & vidit Vticensem Episcopum celebrantem Missam, & dicentem „ Dominus vobiscum „ post Evangelium ad offerendam: statim cucurrit Comes Christianissimus, & flexis in terram genibus, & junctis manibus ante Episcopum dixit ei; do vobis & offero animam meam & corpus meum .... Post hæc intrans munitionem armis se munivit, rediensque iterum ad Episcopum in prænotata Basilica, denuo obtulit se ei & arma sua* (1). Dixi hic extare vestigia antiquissimi ritus, qui tunc perduraret, oblationum scilicet a populo in Missa factarum. Testis est Innocentius III. diserte id narrans (2); *Dum cantatur offertorium Sacerdos accipit oblationes a populis vel hostias a Ministris*. Vetus Scriptor Vitæ S. Elisabethæ Portugalliæ Reginæ quæ hoc sæculo vivebat (3); *Ad audiendam Missam quotidianam accedebat Regina magna cum humilitate flexis genibus coram Sacerdote qui Missam celebrabat, deosculans ejus manus & offerens munus suum ante altare, ab ea solitum offerri in qualibet die, quam oblationem augebat secundum qualitatem festivitatis*. Id nimirum significare illa Comitis nostri, sui armorumque oblatio videtur.

VI. Postremum facimus (non tempore; nam temporis rationem non habemus hoc loco, sed ordine nostro quodam dicendi) argumentum ad Hæresem Albigensium exscindendam Inquisitionis Tribunal, quod & antea constitutum est, & perpetuo commissum Ordini Prædicatorum indicat Guillelmus scribens (5). In diebus autem Legationis ejusdem *Episcopi Tornacensis per Summum Pontificem commissa est Fratribus Ordinis Prædicatorum Inquisitio in his terris contra Hæreticos facienda*. Anonymus Cartusiensis de Religionum origine, id ad summum ejus Ordinis decus refert. Itaque inducit filii personam loquentem (6): *Unum est in quo Ordo iste videtur præcellere, quod videlicet ipsius professoribus & solis Inquisitio Fidei committitur, non aliis cujuscumque gradus conditionis vel Ordinis*. Ita ille qui vivebat sæculo XV. Nec vero prætererat alia quæ eum Ordinem ornant. *Hic Ordo venerabilis mirabiliter dila-*

(1) Cap.71. (2) Lib.2. de Sacr. Miss. cap.53. (3) Apud Bolland. num.48. (4) Cap.43. (5) Cap.43. (6) Tom.6.Collect. Martene pag.70.

*dilatatus est, & plurimum fructificavit Christo & nobis, animas lucrando & ad veram fidem ducendo, hæresesque destruendo ac ubique Hæreticos persequendo. Ordo iste quasi innumeros habuit laudabiles ac omni laude dignissimos patres ac doctores, egregiosque Prædicatores, quamplures etiam in summo apice locatos*, quorum deinde nonnullos numerat, Sed dici hic a nobis potest quod illo antiquior, & quem sæpius nominavimus Guillelmus de Podio, ubi S. Dominicum ejusque Ordinem laudavit (1), *super quo non interest meam narrationem prosequi, cum per Historiam vitæ suæ, & Ordinis ubique dilatati evidentiam, sit jam volentibus atque nolentibus manifestum, verumque, secundum quod dicit B. Apostolus, oportuisse Hæreses esse in nostris temporibus, sive regionibus, ut Ordo beatus, non tam apud nos, quam apud totum mundum fructuosus & publicus appareret*. Similia sunt Honorii III. & Gregorii IX. verba (2); *Quoniam abundavit iniquitas & refrigescit charitas plurimorum, Ordinem fratrum Prædicatorum, sicut credimus, Dominus suscitavit, qui non quæ sua sunt sed quæ Christi quærentes, tam contra profligandas hæreses quam contra pestes alias mortiferas extirpandas, se dedicaverunt Evangelizationi Verbi Dei in abjectione voluntariæ paupertatis*. Idem Honorius III. in litteris S. Dominico sociisque ejus datis VII. Kal. Febr. a. 1217. (3); *Sic velut servi fideles talenta vobis credita erogantes, ut eadem reportetis Domino geminata; sic sicut invicti Christi Athletæ scuto Fidei & galea salutis armati, non timentes eos qui corpus possunt occidere, verbum Dei, quod est penetrabilius omni gladio ancipiti magnanimiter contra Fidei exeritis inimicos*. Verum itaque expertus est Honorius quod in somnis Innocentius III. viderat. S. Dominicum humeris suis (quod item de S. Francisco narratur) Lateranensem Ecclesiam, sustentare. Atque id quidem visum, utut nonnulli antiqui taceant, vere Innocentio oblatum esse, aliorum auctoritate satis est certum; rem vero significatam certissimam, Historia ostendit. Sed nec de hoc longius disserendum est, nec de Inquisitione ipsa de qua accuratissime, & ab aliis, & in Annalibus recens editis disputatum est. More nostro, qui nonnulla quæ huc faciunt animadvertenda ducimus, hic Inquisitionis occasione adversus Hæreticos, explicamus, quod facere supra omisimus, quid rei sint Hæretici vestiti, qui in Conciliis hujus temporis aliisque monumentis occurrunt. Et Du Cangius (4) quidem Hæreticos interpretatur qui Hæresis sunt convicti, opponunturque aliis, qui *Cre-*

(1) Cap. 10. (2) Bullar. O. P. tom. I. pag. 11. & 29. (3) Ib. Const. 3. (4) Glossar.

*Credentes* nuncupabantur, quod ſuſpicio eorum dumtaxat emanaſſet. Rem ita ſe habuiſſe non nego; ſed nominis cauſam etiamnum quæro; cur hujuſmodi hæretici *veſtiti* vocarentur. Cauſam me reperiſſe puto in eo, quem ſæpius nominavimus Albigenſium hiſtoriæ Scriptorem diligentiſſimum, Petrum Monachum Cœnobii Vallium Cernaii. Nam de Comite Toloſano narrat (1), *Primo dicendum, quod quaſi a primis incunabulis ſemper Hæticos dilexit & fovet, & eos in terra ſua habens, quibuſcumque modis potuit, honoravit, uſque hodie etiam, ſicut aſſeritur, ubicumque pergit, Hæreticos ſub communi habitu ſecum ducit, ut ſi ipſum mori contigerit, inter manus ipſorum moriatur*: & paulo poſt; *Quo facto, de ſuperabundanti duos Hæreticos in veſte communi ſecum adduxit, ut ſi forte mori eum contingeret, inter manus ipſorum moreretur*. Quid illud eſt *in veſte communi?* Erant ergo Hæreticorum veſtes propriæ, quas Hæreticos illos ſuos induere nolebat Comes, ut Catholicum ſe mentiretur, & promiſſis quæ Romano Pontifici fecerat, ſtare videretur. Hoc mihi ex recitatis Petri verbis plane liquere videtur; atque illud quoque, quid *Hæretici* eſſent *veſtiti*, quos Concilia Toloſanum, Narbonenſe, Biterrenſe, aliaque nominarunt.

(1) Cap. 4.

*FINIS.*

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*F. M. de Rubeis Patriarcha Conſtantinop. Viceſg.*

---

IMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Auguſtinus Orſi Ordinis Prædicatorum, Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

